NOVAE
LVCVBRATIONES PLINIANAE

SCRIPSIT

CAROLVS MAYHOFF

COMMENTATIO EX PROGRAMMATE GYMNASII VITZTHVMIANI
DRESDENSIS ANNI MDCCCLXXIV SEORSVM EXPRESSA

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXIV

NOVAE

LVCVBRATIONES PLINIANAE

SCRIPSIT

CAROLVS MAYHOFF

COMMENTATIO EX PROGRAMMATE GYMNASII VITZTHVMIANI DRESDENSIS ANNI MDCCCLXXIV SEORSVM EXPRESSA

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLXXIV

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

MARTINO HERTZIO

LATINARVM LITTERARVM EXISTIMATORI

INTELLEGENTISSIMO

D · D

AVCTOR

Decimus hic fere annus est, quod cognominem edidi libellum, quo tirocinium posueram in Plinii naturali historia emendanda; qui tametsi non interiit in reliqua turba et colluvione librorum, qui quotannis apud nos confici et vulgari solent, sed benevolos iudices nanctus est, quorum assensu facile incitabar, ut pergerem in hoc studiorum genere elaborare, nihil tamen insequentibus annis de Plinio in publicum proposui, sed si qua scribendi necessitas vel opportunitas offerebatur, de aliis scriptoribus quae non falso a me observata esse putabam, conscribere mihi potius erat. nunc vero novas has lucubrationes Plinianas ut componam, hoc mihi in causa est, quod Teubnerianae Plinii editionis, quam post mortem Ludovici Iani, viri de his litteris praeclare meriti, recognoscendam suscepi, volumen alterum tandem ita expeditum et absolutum est, ut brevi id typis mandatum iri et hoc anno emendatius in lucem denuo proditurum esse sperare mihi liceat. nam cum in quolibet negotio qui diligenter ac strenue se versatum esse sibi conscius est, etiam ceteris id probari vult, tum vero critici sui negotii rationem reddere et quas quoque loco mutandi causas habuerit explicatius declarare vel maxime cupit is qui antiqui operis editionem paravit, quae praeter ipsum scriptoris verborum textum nihil nisi brevem variarum lectionum conspectum exhibeat. hoc vero eo magis accidere consentaneum est in eo opere, quod, ut Plinianum, doctrina refertum multiplici ac recondita per se sine copiosi commentarii subsidio plurimis locis recte intellegi vix possit, quod sua ipsum natura suisque fatis largam et depravandi opportunitatem et depravata detegendi difficultatem praebuerit, denique quod a plerisque nostrae aetatis hominibus doctis carptim potius legi vel in transitu, si opus est, inspici quam proprio et assiduo studio pertractari soleat. cuius modi operis editione commentario non instructa

qui diligenter et attente utuntur quam molesta saepe afficiantur consilii inopia, nemo potest magis sentire quam sensit editor ipse in locis iis, quos priores editores mutaverunt causis non explicatis. etenim saepe dubius haerebat quaeque fuissent illorum rationes, multum demum meditatus divinando assequebatur aut omni undique congesta iudicandi materia tandem inveniebat, nonnumquam nihilo minus nesciebat. raro nimirum et menda et remedia per se tam manifesta sunt, ut admonitus statim adgnoscas: aliter menda pleraque omnia iam dudum sublata essent. graviore vero laborabat difficultate, sicubi offendebat in loco, qui in editionibus cunctis propagatus erat quasi integer et in quo nihil esset offensionis. mendum subesse persuasum habet, videtur etiam medela in promptu esse, sed verba corrigere cunctatur, postremo consultius ducit inmutata relinquere, nam timido utitur iudicio, cum suae solius intellegentiae diffisus priores melius perspexisse quae sinistro casu semet fugiant suspicetur. atqui illi quoque fortasse in eadem condicione fuerant: posthac autem, si dis placuerit, iterum videbit quispiam locum, sicut in editionibus legatur, tolerari non posse; mirabitur offensum esse ante se neminem atque etiam criminabitur priores socordius praeteriisse, nescius ille quidem, hos quoque multum temporis et operae in verbis iisdem consumpsisse. itaque de locis difficilibus aut mendosis quae editorum intento studio, etiamsi ipsis non omnino certa videbantur, tamen apte excogitata sunt, magnam partem plane perirent, nisi ipsi commentariorum defectum, qui hodie solet esse, ita compensare studerent, ut occasione data in scriptis singularibus vel in actis litterariis expromerent quae ad scriptoris verba emendanda aut recte interpretanda utilia observaverunt.

Has ego ob causas quae, dum Plinii editionis volumen alterum tractabam, in adversariis meis adnotavi, eorum certe partem aliquam litteris consignare et in medium proferre constitui; nam omnia ut hac commentatione complectar, propter brevitatem spatii mihi concessam fieri nequit. multo enim uberior quam putaveram mihi succrevit adnotatorum copia, et si eos quoque locos, quos ob varias difficultates depravatos esse suspicor, sed nondum scio probabili sanare emendatione,

accuratius vellem persequi, vereor ne liber mihi scribendus esset haud minor quam editionis volumen ipsum est, ad quod adnotationes pertinent. nec tamen cupide quaesivi dubitandi vel a ceteris dissentiendi materiam, sed, ut par est, codicum auctoritatem fideliter cauteque tuendam putavi neque coniecturae locum dandum esse nisi ubi aut in verbis aut in rebus perversum contrariumve aliquid esse idoneis argumentis coargui posset. de verbis autem et de rebus quo rectius iudicetur, et elocutionis Plinianae proprietas diligenter observanda est et auctores illi attente pervestigandi, e quibus Plinius scientiae suae copias hausit vel quibuscum communi fonte usus est vel qui eius libros postea compilaverunt.

Atque ut primarios modo ex iis auctoribus nominem, quos etiamnunc in manibus habemus, hausit Plinius in libris qui sunt de animalibus in primis ex Aristotele, quem in plurimis gravissimisque rebus principem aut solum ducem secutus est, modo verbo verbum exprimens, modo aliis verbis declarans eadem, interdum etiam in artum colligens aut verbis amplificans et ex aliis scriptoribus aut de suo quaedam adiciens. de arboribus Theophrastum praecipue secutus est, sed multo rarius neque eadem perpetuitate et constantia, qua usus est in excerpendo Aristotele, et multa etiam ex Catone, Varrone, Columella repetiit. praeterea vero in hac parte operis saepissime congruit cum Dioscoride medico, qui, aetate fere aequalis aut paulo maior, ex iisdem hausit fontibus maximeque e Sextio Nigro, id quod certis argumentis demonstrari posse arbitror.[1]) compilatus denique ipse est perpetuo a C. Iulio

[1]) Hoc paucis in transcursu absolvere hoc loco non alienum erit. Dioscorides igitur in primi de materia medica libri praefatione, qua recensum instituit auctorum qui ante ipsum scripserunt et quorum libros sine dubio inspexit, e veteribus Iolam, Heracliden Tarentinum, Crateuan, Andream non sine laudatione nominat, e posterioribus Bassum, Niceratum, Petronium, Nigrum, Diodotum, hos tamen vituperans cum ob putidam in rebus vulgaribus describendis diligentiam tum ob medicae artis inperitiam, qua inanibus verbis de causis rerum disseruerint atque etiam multa inter se confuderint. eosdem autem omnes Plinius quoque in indicibus auctorum commemorat, nisi quod Petronii et Diodoti nomina

Solino potissimum, cuius nunc utimur editione Mommseniana ad usum eruditorum habilissima. quam quidem auctorum, qui adhuc exstant, pervestigationem assidue institui opus esse cum Detlefseno (philol. XXXI p. 387) persuasum habeo et praeter codicum auctoritatem certissimum esse emendationis praesidium in dies magis cognovi; quod ubi deficit, multa in incerto relinquenda sunt, multa haud dubie peccata latent, quae haud scio an nulla umquam arte detegi possint. saepe enim quas Plinius

---

in indicibus librorum XX sqq. et XX 77. XXV 110 ita coniunxit, ut eum falso unum hominem intellexisse manifestum sit: unde novum nascitur testimonium affirmantibus Plinium non omnium illorum scriptorum libros singulos ipsum in manibus habuisse (v. H. Brunnium de auct. ind. Plin. p. 50). omnium vero frequentissimus est Sextius Niger 'qui Graece de medicina scriberet' (v. indd. libb. XII—XVI, XX—XXX, XXXII—XXXIV), quem Brunnius l. l. idoneis causis credibile facit singulorum medicorum libros in unum opus concinnavisse eoque Plinium postea in primis usum esse. Plinianus autem hic Niger quin idem esset atque is de quo Dioscorides loquitur, non erat cur dubitaret Curtius Sprengelius Diosc. edit. vol. II p. 342; nam quos ille in praefatione Nigro exprobrat errores tres: ὁ γοῦν διαπρεπὴς δοκῶν εἶναι ἐν αὐτοῖς Νίγερ τὸ εὐφόρβιόν φησιν ὀπὸν εἶναι χαμελαίας γεννωμένης ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ τὸ ἀνδρόσαιμον ταὐτὸν ὑπάρχειν ὑπερικῷ, ἀλόην δὲ ὀρυκτὴν ἐν Ἰουδαίᾳ γεννᾶσθαι, ecce eosdem deprehendis etiam apud Plinium. ut ab ultimo incipiamus, de aloe legimus XXVII 15 *fuere qui traderent in Iudaea super Hierosolyma metallicam eius naturam,* ubi iam Dalecampius recte Sextium Nigrum significavit; de androsaemo autem XXVII 26 *androsaemon sive, ut alii appellavere, ascyron non absimile est hyperico,* et quae deinceps sequuntur ex parte consentiunt cum Diosc. III 162, ubi de ascyro agit, cum tamen herbam proprie androsaemon dictam ib. 163 describat et differre dicat ab hyperico et ascyro. denique de euphorbea XXV 77 *multum infra hunc sucum* (euphorbeae Africae) *est qui in Gallia fit ex herba chamelaea,* ubi Italiae partes Galliae adiacentes intellegendas esse etiam Harduinus indicavit. Dioscorides autem neque de chamelaea, ubi de euphorbea agit (III 86), neque de euphorbea, ubi de chamelaea (IV 169), ullam inicit mentionem. hinc patet Plinium illos locos e Sextio Nigro suo petiisse, utrumque autem Nigrum unum eundemque esse, cumque non herbariae, sed medicinae nomine a Dioscoride vituperetur, hic in eis locis operis sui qui sunt de arboribus et herbis permulta ex illo desumpsisse putandus est. quas ob causas aptissime ita explicabimus frequentissimum Dioscoridis et Plinii consensum, ut ad Sextium Nigrum eum referamus. cfr. praeterea A. Felsius de codd. ant. auctor. cet. p. 50 not. 1.

narrat res nobis incognitae et ita comparatae sunt, ut si auctorem, a quo pendet, inspicere ipsum hodie non licet, sola ingenii acie nostraeque aetatis eruditione diiudicare omnino non possimus, vera sint an falsa quae in codicibus leguntur per se plana neque inter se repugnantia; possunt genuina ac vere Pliniana, possunt interpolatoris artificio foede adulterata esse, sed neutrum argumentando evinci a nobis potest. quare necesse est ingratam exsistere iudicii fluctuationem, ubi aut codices aequali fere dignitate exhibeant diversa, sed quae singula per se ferri possint, aut omnes codices vitiatos esse apertum sit.

Nec vero fugit illud superiorum saeculorum criticos, quanti momenti esset in recensendis scriptoribus rimari veteres eorum fontes, velut Hermolaus Barbarus, Dalecampius, Salmasius, alii hoc adiumento diligenter adhibito multos locos Plinianos ad sanitatem revocaverunt; praeter ceteros vero Pintianum honoris causa commemorari par est, quippe qui Aristotelem suum et Theophrastum Dioscoridemque summa industria excusserit et ad hanc normam ubique corrigere Plinii orationem studuerit, saepe ille quidem violentius et audacius, ut erat homo suae aetatis, sed numquam ita ut non sagacitatis eximiae laudem sibi vindicaret. quem quamquam multis locis vituperavit postea Harduinus, in emendando tamen opere Pliniano melius illum meruisse existimo quam hunc, qui magnam suam editionem non tam criticis adnotationibus quam copioso doctrinae apparatu interpretandi causa e scriptoribus antiquis congesto utilem nobis reddidit. inter recentiores autem vir omnium ille in his litteris versatissimus I. G. Schneiderus Saxo hoc nomine egregiam etiam Plinio operam praestitit, cum in commentariis editionum Aristotelis, Theophrasti, scriptorum rei rusticae Latinorum, ubicumque fieri poterat, illius verba in comparationem adduceret. denique Montignius quaestionibus in Plinii naturalis historiae de animalibus libros Bonnae anno 1844 editis de fontibus maximeque de Aristotele ex professo accuratius disputavit. his omnibus et recentissimi editores et Urlichsius in vindiciis Plinianis locupletissimis usi sunt atque Silligius etiam admiscuit commentario editionis suae huius modi adnotationes

quibus fontes breviter indicaret; sed in his quam non esset acquiescendum quantumque expediret totum comparandi laborem de integro subire meo ipse exemplo expertus sum, qui aliquot locos invenerim a ceteris nondum indicatos, ut ex tali spicilegio etiamnunc haud mediocrem fructum percipi posse mihi certum sit.

Atque haec quidem strictim indicasse hoc loco sufficiat, quoniam accuratius de fontibus disserere et rationem eos in critico negotio adhibendi exponere longum est et in aliud tempus differendum.[2]) nec minus interim seponam locos omnes, in quibus de emendatione non tam certum mihi iudicium est, ut non ipse dubitationi locum relinquam; sed ut haec commentatio quasi appendicis vel potius praefationis criticae editionis meae vicem obtineat, selectas aliquot lectiones causis breviter additis proferam, quibus textus, qualem ego conformandum censeo, discrepabit a Detlefseni editione, quae ut novissima ita maxime adhuc emendata in publicum prodiit. eas autem ita disponam, ut librorum manu scriptorum, prout quisque praestantissimus habetur, ordinem sequar, eorumque scripturam tum restituam tum reiciam, coniunctis, quantum fieri poterit, locis iis, qui similitudinem aliquam vitii vel remedii prae se ferant. singulos qui facilius invenire volent, eorum commodo indice locorum subiuncto apte prospicietur.

---

[2]) De ratione quae inter Aristotelem intercessit et Plinium, ut hoc unum breviter praemoneam, consentiens cum Montignio p. 52 sic statuo: Plinius perlegit quidem diligenter et accurate omnia Aristotelis de natura rerum scripta, at non excerpsit ipse tota, sed eas tantum partes, quas nondum a Pompeio Trogo, Nigidio Figulo, aliis compilatas atque adeo in Latinum sermonem translatas esse videret. quibus in partibus quae narrata erant, facilius erat et magis opportunum ex horum auctorum versionibus excerpere. ad hos aptissime refert Montignius p. 38 n. 137 haec praefationis verba: § 22 *scito enim conferentem auctores me deprehendisse a iuratissimis et proximis veteres transcriptos ad verbum neque nominatos.* ita factum est, ut Plinius nonnullis locis, ubi tradidit quae Aristotelica sunt, repente praeter exspectationem Trogo (ut X 101. XI 273) et Nigidio (ut IX 185) adsignaret aliqua, quae ex eodem Aristotelico loco auctore non nominato desumpta erant.

I

De codicum Plinianorum auctoritate et de lege ac norma, ad quam revocandi essent in recensendo textu, ut magis magisque verum patesceret, cum Iani, Felsii aliorumque studiis, tum vero Detlefseni opera factum est, qui non modo nova aliquot subsidia paravit, verum etiam eximia in re parum iucunda studiorum assiduitate et excitata confirmataque diuturno usu oculorum et mentis acie de singulorum codicum aetate, origine, cognatione multa investigavit, quae antea minus recte perspecta erant. quibus in rebus quod alia nondum cognita, alia pro controversis habenda sunt neque umquam fortasse perfectum et ab omni parte verum codicum stemma repraesentari poterit, id nonnullis quidem locis dubitationem creat incommodam, sed in universum non tanti momenti est, ut recte iudicandi facultas nobis prorsus eripiatur, quippe quae non minus pendeat a recta verborum et rerum interpretatione quam a maiore vel minore probabilitate, qua aestimemus ipsam librariorum operam fortuitis erroribus obnoxiam. itaque quisquis variantes librorum scripturas denuo diligenter pertractaverit, hic illic reperiet, de quibus aliter putet statuendum esse, atque ab editoribus factum est; nec deerunt etiam, in quibus omnium codicum consensus iniuria neglectus esse videatur. atque ab his quidem exemplis aliquot exordium sumere placet.

Incredibilia cum essent quae de boum lacte traduntur XI 236 *bos ante partum* (lac) *non habet, et primo semper a partu colostrae fiunt, ni admisceatur aqua, in pumicis modum coeunte duritia,* Silligius e vestigiis codicis R *aquatim* (pro *aqua in*) verius quidpiam erui posse suspicabatur, Detlefsenus autem *spumae* pro *pumicis* recepit collatis quae sunt § 239 *spuma id* (butyrum) *est lacte concretior.* quod quamquam haud improbabile videtur, nihil tamen mutandum est: nam quod iure offensionem habet, id non in Plinium, sed in Aristotelem[3])

[3]) Locis Aristotelicis adiciam numerum paginarum editionis Berolinensis academicae, quarum versus quoque indicare licet, ne quaerendi diuturnitas taedium afferat. ceterum novissimi editores Aubertus et

cadit, qui hist. anim. VI 21 p. 575 B, 9 plane eadem tradit: τὸ δὲ γάλα, ὅταν τέκῃ, χρήσιμον γίνεται· ἔμπροσθεν δ' οὐκ ἔχει γάλα, τὸ δὲ πρῶτον γινόμενον γάλα ὅταν παγῇ, οὕτω γίνεται σκληρὸν ὥσπερ λίθος· τοῦτο δὲ συμβαίνει, ἐὰν μή τις μίξῃ ὕδατι, quem quidem lapidem quod Plinius interpretatus est pumicem, non mirabitur qui legerit XXVIII 123 *colostra prima a partu spongea densitas lactis* et XXXVI 155 *probatio* (pumicum est) ... *ut quam maxime spongeosi aridique sint* et Plinium consideraverit narrare (XXVIII 247 coll. XI 203) pumicem in vaccarum utero inveniri. cfr. etiam XXXV 187 *melius* (alumen est) *pumicosum et foraminum fistulis spongeae simile.* XXXII 86 *quartum* (genus alcyonei) *pumicosius, spongeae putri simile.*

Quae de apium generatione refert XI 48 *gallinarum modo incubant. id quod exclusum est primo vermiculus videtur candidus ... rex statim mellei coloris ... neque vermiculus, sed statim pinniger*, ea omnia Plinius ex Aristotelis hist. anim. V 22, p. 554 A, 18—28 desumpsit, sed quae addidit extrema: *cetera turba cum formam capere coepit, nymphae vocantur, ut fuci, sirenes aut cephenes*, non item reperiuntur eodem loco. sed cur *sirenes?* nam codices omnes *serenes*, nisi quod d habet *feneres*, et vox est solitaria, quae praeter hunc locum neque apud Plinium neque apud ullum scriptorem Latinum inveniatur. Graecum autem nomen cum sit σειρῆνες, nulla est in *e* vocali offensio: itaque mihi consultius videtur librorum scripturam retinere, praesertim cum incertum sit, an Plinius haec insecta a fabulosis illis Sirenibus ipso nomine discernere voluerit, et si librarii mutassent, contrarium profecto veri similius esset, notissimam potius formam *sirenes* substitutam esse pro incognita, quam nunc legimus. ceterum quid sunt serenes? fuci an insecta alia? inest in hoc loco difficultas, quam qua interpretatione editores

---

Wimmerus (Lips. a. 1868) Aristotelis verba corrupta arbitrati in adnotationibus coniecturam proposuerunt hanc: τὸ οὖθαρ γίνεται σκληρὸν ὥσπερ λίθος· τοῦτο δὲ συμβαίνει, ἐὰν μή τις νίψῃ ὕδατι. apud Plinium autem pro *primo*, quod cum *partu* recte coniungi vix possit, fortasse legendum erit *primae*, ut XXVIII 123, et apud Aristotelem est τὸ πρῶτον γινόμενον γάλα.

expedierint mihi non liquet. opponuntur enim inter se et rex et 'cetera turba', quae necesse est constet ex apibus operariis et fucis, siquidem Aristoteles l. l. dicit: αὐξανόμενα δὲ γίνονται μέλιτται καὶ κηφῆνες. quam ob rem verbis *ut fuci, serenes aut cephenes* non potest 'cetera turba' partibus suis descripta putari, quia desunt apes, pars maxima. superest igitur ea interpretatio, qua ceteram turbam nymphas vocari intellegamus, ut etiam fuci, serenes aut cephenes nymphae vocentur, quem ad modum Aristoteles h. a. V 19 p. 551 A, 30 sqq. καὶ γὰρ οἱ τῶν μελιττῶν καὶ ἀνθρηνῶν καὶ σφηκῶν (νέοι).. ὅταν ἐκ τῶν σκωλήκων εἰς τὴν διατύπωσιν ἔλθωσι, καλοῦνται μὲν νύμφαι τότε. huic autem rationi parum aptum est *aut* et obstat, quod fuci et cephenes non sunt diversa insectorum genera, sed eiusdem insecti diversa nomina. quare commate deleto interpretari malo *ut fuci* (vocantur) *serenes aut cephenes*, ut Plinius *serenes* et *cephenes* pro duobus fucorum nominibus Graecis acceperit. nam apud Graecos quoque illud vocabulum rarissimum est nec legitur nisi apud Aristotelem h. a. IX 40 p. 623 B, 11, ubi apibus, quae gregales sunt, tria genera solitaria opponit, serenes parvos et maiores et bombylios, unde serenes videtur apes quasdam agrestes intellegere, et apud Aelianum de nat. an. IV 5 σειρὴν μελίσσης ὄνομα, V 52, ubi ex professo de apium nominibus agit, ἡγεμόνες καλοῦνταί τινες, καὶ ἄλλαι σειρῆνες καὶ ἐργοφόροι τινὲς καὶ ἕτεραι πλάστιδες, praeterea apud Hesychium s. v. σειρήν· καὶ μέλιττα, ἢ μελίττης οἶκος, et apud Photium exstat versus proverbialis: σειρὴν μὲν φίλον ἀγγέλλει, ξεῖνον δὲ μέλισσα. quo facilius in illum errorem Plinius induci poterat. idem sensit Dalecampius, cum adnotaret: 'nymphae sunt apum, vesparum, crabronum, sirenes fucorum', et dilucidius Harduinus: 'apes enim iuniores nymphae, fuci σειρῆνες aut κηφῆνες vocantur, qui cum adultiores sunt, fuci cognominantur', sed neuter verborum interpunctionem huic sententiae adcommodavit.

Non recurrendum ad Aristotelem est XI 50, ubi de fetu apium narrans impediri eum et deleri Plinius dicit eo quod vocetur *clavus: fit in favis quibusdam qui vocatur* c l a v u s, *amarae duritia cerae, cum fetum inde non eduxere, morbo aut ignavia aut infecunditate naturali. hic est abortus apium.* ita post Harduinum

vulgatum est, donec Detlefsenus coll. § 64 et Aristot. h. a. VIII 27 scripsit *clarus* (κλῆροc), suo tamquam auctoris nomine apposito. sed neque novi quidquam homo doctissimus proposuit — siquidem iam ante Harduinum ita legebatur — et contulit quae non erant conferenda. nam quae § 64 de apium et regum et operarum morbis disserens Plinius tradit: *sunt et operis morbi. cum favos non explent, claron vocant,* ea quid cum hoc loco commune habeant non video. *clari* enim vel κλήρου nomine antiqui vermiculum significabant in alveo nascentem totumque quasi araneis obducentem: hunc Aristoteles commemorat eo loco quem Detlefsenus citavit p. 605 B, 9: ταῖc δὲ μελίτταιc ἐγγίνεται ἐν τοῖc cμήνεcι θηρία ἃ λυμαίνεται τὰ κηρία, τό τε cκωλήκιον τὸ ἀραχνιοῦν καὶ λυμαινόμενον τὰ κηρία, — καλεῖται δὲ κλῆροc, οἱ δὲ πυραύcτην καλοῦcιν· ὃc ἐντίκτει ἐν τῷ κηρίῳ ὅμοιον ἑαυτῷ οἷον ἀράχνιον, καὶ νοcεῖν ποιεῖ τὸ cμῆνοc — καὶ ἄλλο θηρίον cet. eodemque pertinent duo loci alii indicati iam a Pintiano, qui *scleros* scribere (propter duritiam cerae) et interpunctionem mutare voluit: IX 30 p. 626 B, 15 sq., ubi iisdem fere verbis iidem vermiculi describuntur, et ibidem p. 625 A, 7, ubi favi, nisi apes insederint et concoquant, corrumpi et araneari, in vitiatis autem vermiculi nasci dicuntur, qui volucres facti evolent. haec si Plinius hoc loco exprimere creditur, scire velim quid faciendum sit verbis *amarae duritia cerae,* quae, si quid video, sensu plane destituuntur. contra si retinemus librorum scripturam, commodum habent explicatum. est enim *clavus* vocabulum artis medicinae, qua significatur vitiosa aliqua duritia eaque humano in corpore duritia cutis, in primis pedum, velut Celsus V 28, 14, ubi varia ulcerum genera tractat, inter ea quae sunt verrucis similia ponit myrmecia aut in palmis aut in inferioribus partibus pedum nascentia et clavum, qui 'nonnumquam quidem etiam alibi, sed in pedibus tamen maxime nascitur'. ita etiam Plinius XXIV 23 (hammoniacum) *extrahit clavos cum melle .. sic et duritias emollit;* XXVIII 49 una cum verrucis commemorat *clavum corporis,* eundem una cum *callo* XXI 127. XXIV 56. XXVIII 222; commemorat XXVI 142 *clavos in ulcere natos,* XXIV 126 *in naribus clavos,* XXII 103 *clavos morticinos,* saepissime vero *clavos pedum,* ut

XXI 126. XXII 101. 104. XXVI 106. XXX 80. XXXI 103. etiam in arboribus hoc nomen vitii in usu fuisse discimus ex XVII 223 *olea praeter vermiculationem, quam aeque ac ficus sentit, clavum etiam patitur, sive fungum placet dici sive patellam.* cur igitur ne in favis quidem vitiosa duritia eodem vocabulo dici potuerit, praesertim cum in humano corpore ulceris quoddam genus a favi similitudine Graecis κηρίον nominatum sit (v. Celsum V 28, 13)? itaque XI 50 ego *clavus* non abiciam ac nescio an Pintiani interpunctio rectius adoptanda sit, qua puncto post *naturali* deleto verba *cum fetum* .. *naturali* protasin efficiant apodosis eius quae est *hic est abortus apium.*

X 101 de perdicum captura Plinius e Trogo, qui Aristotelem transtulerat, repetiit haec: *capiuntur quoque pugnacitate eiusdem libidinis, contra aucupis inlicem exeunte in proelium duce totius gregis. capto eo procedit alter ac subinde singuli. rursus circa conceptum feminae capiuntur contra aucupum feminam exeuntes ut rixando abigant eum.* falso editores omnes de feminis capiendis earumque in aemulam invidia in verbis ultimis cogitandum esse opinati *feminae* pro subiecto habuerunt ideoque correxerunt *abigant eam*, ubi id unum mirere, quod idem non iam a librariis factum sit. sed quae feminae facere soleant, ut mares ab aemula invisa abstrahant, narrantur § 102, et ex Aristot. h. a. IX 8 p. 614 A, 14 sqq. rem aliam esse discimus: ἐὰν μὲν οὖν ἄρρην ᾖ ὁ θηρεύων, τοῦτο ποιοῦσιν· ἐὰν δὲ θήλεια ἡ θηρεύουσα ᾖ καὶ ᾄδουσα, ἀντᾴσῃ δ' ὁ ἡγεμὼν αὐτῇ, οἱ ἄλλοι ἀθροισθέντες τύπτουσι τοῦτον καὶ ἀποδιώκουσιν ἀπὸ τῆς θηλείας, ὅτι ἐκείνῃ, ἀλλ' οὐκ αὐτοῖς προσέρχεται. nec aliter idem enarrat Aelianus IV 16 abigendi ducis hanc causam adiciens: ὡς διὰ τὴν λαγνείαν εἰς δουλείαν ἐμπεσόντα. itaque particula *rursus* non feminae opponuntur maribus, sed altera marium captura infertur, et sic volunt verba intellegi: quo tempore femina concipit, mares capiuntur contra aucupum feminam exeuntes, ut rixando abigant ducem totius gregis, qui libidine abreptus ad feminam primus adcurrit. hoc etsi Plinius neglegenter admodum et parum luculenter significavit, tamen codicum scriptura non debebat mutari; fortasse autem interciderunt

aliqua aut, si mutandum sit, conici potuerit *exeunte* (duce), *si rixando abigant eum* vel tale quid.

XII 113 de balsamo in libris traditum est *folium proximum tuburi* (sic MR, *tuberi* pro *tuburi* DFadT). quod cum iam Barbarum Graecos fontes diligenter rimantem offendisset, quia Theophrastus h. pl. IX 6, 1 φύλλον δὲ ἔχειν ὅμοιον πηγάνῳ et Dioscorides de mat. med. I 18 φύλλα ἔχον ὅμοια πηγάνῳ (i. e. rutae) tradiderunt, pro *tuburi* correxit *rutae*, qua in re omnes editores habuit adstipulatores usque ad Ianum, qui, ne codicum litteras tam violenter mutaret, post *folium proximum* inserenda proposuit *rutae, fructus proximus*. quae quidem coniectura non debuit Detlefseno ita probari, ut in textu poneret. nullius enim ponderis hoc loco est communis Theophrasti et Dioscoridis cum Plinio dissensio. nam Iudaea in Romanorum dicionem redacta cum fiscus imperatoris balsamum sereret (§ 113) venderetque sucum eius (§ 123), verisimile est fuisse Romae qui ex Iudaea reduces accuratiorem illius arboris pretiosissimae cognitionem haberent, a quibus multa fando accepisse Plinius, qua erat curiositate, putandus est. quid? quod dubium non est, quin ipse eam viderit, cum imperatores Vespasianos triumphum Iudaicum agentes urbi hanc arborem ostendisse dicat (§ 111)? haec autem, quae ab aliis audiverat quaeque ipse viderat, valde diversa fuisse ab iis, quae ante eum relata essent de balsamo, luculento indicio sunt haec verba: *in totum alia natura quam nostri externique prodiderant* (§ 112).[4]) quid igitur mirum, quod Plinius non tantum multo

[4]) *Externos* haud dubie intellegit Theophrastum et qui eum exscripserunt (cfr. Strabo XVI 2, 41), *nostros* Sextium Nigrum et Pompeium Trogum, ex quo Iustinus XXXVI 2 sua mutuatus est, quamquam mirum videri debet, quod apud hunc quoque legitur *in vinearum morem excoluntur*, cum Plinius adseveret § 112: *malleolis seri didicit nuper vincta ut vitis, et inplet colles vinearum modo.* Theophrastum autem ipsum non conspexisse balsamum, totius narrationis forma prodit ex verbo φασί apta, et quod Dioscorides de iis quae ad rem herbariam spectant vix plura commemorat quam quae iam apud Theophrastum reperiuntur, facit ut credatur ne ipsum quidem vidisse hanc arborem et opus suum condidisse, antequam Vespasiani triumphum Iudaicum agerent. quae vero

plura et accuratiora profert quam Theophrastus et Dioscorides, sed etiam de rebus iisdem longe alia narrat. longum est, etsi in promptu sunt, locos subtexere omnes, quibus hi inter se conveniunt quibusque alteruter cum Plinio aut consentit aut dissentit: dissensionis hoc unum affero exemplum insigne de incisione arboris, de qua plane eadem habent

Theophr. IX 6, 2	Dioscor. I 18
τὸ δὲ δάκρυον ἀπὸ ἐντομῆς cυλλέγειν, ἐντέμνειν δὲ ὄνυξι cιδηροῖς ὑπὸ τὸ ἄcτρον ...	τὸ δὲ ὀποβάλcαμον λεγόμενον ὀπίζεται ἐν τοῖς ὑπὸ κύνα καύμαcιν, ἐντεμνομένου cιδηροῖς ὄνυξι τοῦ δένδρου.

ab his quantum distat Plinius § 115: *inciditur vitro, lapide osseisve cultellis. ferro laedi vitalia odit, emoritur protinus, eodem amputari supervacua patiens,* quae muniuntur testimonio Taciti hist. V 6, qui Plinii verba sine dubio novit et in suum usum convertit (cfr. Nissenus mus. Rhen. vol. XXVI [a. 1871] p. 541): *si vim ferri adhibeas, pavent venae: fragmine lapidis aut testa aperiuntur.* quae cum ita sint, non nostrum est mutando exprimere, ut consensus exsistat, sed librorum scriptura simpliciter tenenda est nec vexanda Iani commento, quod ne probabile quidem dici queat: scilicet ut una discrepantia evanescat, altera obtruditur Plinio, qui, cum Theophrastus habeat καρπὸν δὲ παρόμοιον τῇ τερμίνθῳ, ab hoc dissentiret nihilo setius, etiamsi fructus tuburi similes esse dicerentur: nam quidquid de tuburibus narrat XV 47. XVI 103. XVII 75, terebinthi certe non sunt. ac tuburum fructus sunt *bacis similiores quam malis* (XV 47), terebinthi autem *semina* (XVI 106), ut balsami quoque fructus a Plinio *semina* nominantur § 115 et 119, quae verba mirifice confirmantur a Dioscoride l. l. τοῦ δὲ καρποῦ.. ἐκλέγου τὸν ξανθόν, πλήρη, μέγαν, βαρύν, δάκνοντα τῇ γεύcει καὶ πυροῦντα.. φέρεται δέ τι ἀπὸ τῆς Πέτρας, ᾧ δολίζουcι τὸν καρπόν, cπέρμα ὑπερικῷ ὅμοιον· ὅπερ γνώcῃ ἐκ τοῦ μεῖζόν τε

Plinius refert, ea a nullo alio scriptore tum litteris mandata fuisse, inde conieceris, quod aliis locis, in quibus se multa aliter ac priores proditurum esse praemonet, simul auctores nominat, quos secuturus est, ut VI 23. 84.

εἶναι καὶ κενὸν καὶ ἀδύναμον, πεπερίζον τῇ γεύσει. itaque ne tum quidem mihi probaretur Iani inventum, si *semen proximum* pro *fructus proximus* substitueremus, quod per se probabilius esset, quia cur verba illa perire facile potuerint hac ratione multo aptius explicaretur.

De eiusdem balsami suco quae mox § 116 in codicibus leguntur, mutata modo interpunctione, tuenda sunt: *sucus e plaga* (corticis) *manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiae. sed tenui gutta ploratu* (est). *lanis parva colligitur in cornua, ex iis novo fictili conditur, crassiori similis oleo et in musto candida.* in his verba typis insignita, quae cum praecedentibus aut cum posterioribus verbis ita coniungi solent, ut *gutta* pro ablativo sumatur, quam varie tentata sint ab editoribus, quorum novissimi omnes inter se dissident, longum est persequi: mihi ex voce *candida* evidentissimum est, *gutta* nominativum esse et pro subiecto accipiendum. an vero apte dici non posset guttam tenui ploratu esse? itaque haec verba a ceteris separavi, nec tamen obloquar, si quis puncto post *ploratu* deleto sequentibus ea continuare maluerit.

In asari descriptione XII 47 Ianus et cum eo Detlefsenus ediderunt: *nardi vim habet et asarum.. est autem hederae foliis, rotundioribus tantum molliorbusque, flore purpureo, radice Gallici nardi, semine acinorum saporis calidi ac vinosi.* sed restituendum est quod codices praebent *acinosum*, quod adiectivum, etsi admirationem habet, exterminari tamen e Latino sermone non poterit, cum Plinius etiam XXI 109 dicat: (nostri vocant) *asphodelum hastulam regiam, caulis acinosi,* caulem significans ferentem semen rotundum et acinis simile.[5]) quidni igitur

[5]) Ante Silligium idem adiectivum legebatur etiam XIV 40, ubi nunc e codicibus restitutum est *e racemosissimis*, sed cum M scribendum est *e racemosis*, cumque vitium genera uva, non vino, insignium enumerentur, totus locus hunc in modum distinguendus: *sed sunt etiamnum insignes uva, non vino, ambrosia e duracinis — sine ullis vasis in vite servatur, tanta est contra frigora, aestuus tempestatesque firmitas; nec orthampelos indiget arbore aut palis, ipsa se sustinens, non item dactylides digitali gracilitate — columbinae e racemosis et magis* (insignes sunt uva) *purpureae, cognomine bimammiae, quando non racemos, sed uvas alias gerunt, item tripedanea* e. q. s. superlativi non intellegitur idonea

hoc quoque loco dicere possit asarum esse semine acinosum i. e. semen acinis simile ferens? praesertim cum accedat Dioscoridis auctoritas, qui I 9 iisdem verbis dicit: καὶ τὸ cπέρμα ἐοικὸς γιγάρτῳ. Iani autem ratio, sive *acinorum* cum *semine* sive cum *saporis* coniungitur, ne ferri quidem potest. nam 'semen acinorum' apud Plinium esset semen simile acinorum semini, cuius usus creberrimi exempla aliquot composui luc. p. 32; acinorum autem semen quid est? rursus asari semen habere acinorum saporem calidum ac vinosum neque per se credibile est et repugnat non modo Dioscoridi, qui radicis saporem describit, sed etiam Plinii verbis XXI 134 *effoditur, cum folia mittere incipit, et in sole siccatur,* unde radicem intellegi elucet.[6])

causa, mendum autem e geminatis syllabis ortum videtur *racemosismosis*. molesta sane est et impedita orationis forma ob nimis amplam parenthesin, qua alia aliis subiungantur, sed talia saepius inveniuntur et propria sunt Plinii stilo veloci, quo quam plurimas res brevissime et summatim comprehendere studeat. praeterea multae parentheses haud scio an inde originem traxerint, quod Plinius passim adnotamenta quaedam margini adspersit, quae quominus reliquae orationi continuae apte insereret adcommodaretque, morte repentina impeditus est.

[6]) Ceterum ab hoc loco discedere non licet, quin simul aliud quiddam significetur iustae suspicioni obnoxium. nam quae Dioscoridi et Plinio in hac asari descriptione communia sunt, ea omnia paene ad verbum inter se consentiunt neque Pliniana illa *saporis calidi ac vinosi*, quamquam aliis locis adiectivum *mordax* in re tali usurpari solet, dissimilia sunt Dioscoridis verbis θερμαίνουcαι καὶ δάκνουcαι λίαν τὴν γλῶccαν, cum eodem sensu de iunco dicat XXI 120 *vinosae mordacitatis ad linguam*, quae Diosc. I 16 exprimit καὶ δάκνουcαν τὴν γλῶccαν μετὰ πολλῆc πυρώcεωc. (Urlichsius quidem vind. Plin. II n. 465 *virosae* coniecit, quod qui cum Detlefseno probaverit, ei etiam XII 47 *virosi* corrigendum erit.) eo magis dubitandum est de *mollioribusque*, pro quo ut *minoribusque* substituatur, consequens esse videtur ex verbis Graecis cetera simillimis: φύλλα ἔχει κιccῷ ὅμοια, μικρότερα δὲ πολλῷ καὶ cτρογγυλώτερα. restat unum, quod discrepet *flore purpureo, radice Gallici nardi,* cum Dioscorides de flore referat: ἄνθη μεταξὺ τῶν φύλλων πρὸc τῇ ῥίζῃ, πορφυρᾶ, ὑοcκυάμῳ ἢ κυτίνῳ ἐμφερῆ, et radicem deinceps uberius describat. quare Salmasius exerc. Plin. p. 753 a A coniecit *flore purpureo, radici alligato, alterci* (i. e. hyoscyami) *simili, acinosum,* simul eo nixus, quod adT *simile* pro *semine* habent; sed hac voce, quam delet, carere non possumus et multo tutius est neglegentiam quandam Plinio brevitatis studioso tribuere quam coniecturam tam violentam in textum invehere.

Insectorum genera descripturus Plinius magnam dicit in his rebus naturae subtilitatem esse; multos enim insectis spiritum eosdemque sanguinem esse negare: 'unde numerosam quaestionum seriem exoriri'. eius modi quaestionum exemplum deinde ponit hoc: XI 6 *iidem enim et vocem esse his negant in tanto murmure apium, cicadarum sono et alia quae suis aestimabuntur locis.* ita enim est in libris, sed *alia* olim nescio a quo in *aliis* mutatum est idque per omnes deinceps editiones ambulavit, donec Detlefsenus hanc verborum traiectionem adhibuit *et quae alia,* quam Silligius dubitanter proposuerat. qua quid profecerit non video, neque enim Plinius significare voluit praeter murmur apium et cicadarum sonum etiam alia esse argumenta idonea, quibus opinio illa vix credibilis refelleretur: nam tum *indicabuntur* vel *dicentur* ponendum erat pro *aestimabuntur,* quo verbo Plinius cum iudicandi notione uti solet (cfr. mox § 12 *aestimemus postea ingenium,* XII 83. XIII 95. XXIX 28. XIX 30. 57. praef. 6. VII 43. 145. 147. XIII 95. II 13. 65. XVIII 1. 27. 56, multi loci alii). quae notio nisi subesset atque in hoc sententiarum ordine paene in refutandi vim transiret, apta sententia carerent verba continuo sequentia, quae causali nexu artissime iunguntur cum hac recta aestimatione h. e. refutatione illorum errorum. itaque *alia* Plinius intellexit alios errores, ad quos ex verbo *negant* tacite suppleri voluit affirmativum aliquod verbum dicendi hunc in modum: 'iidem et vocem esse his negant et alia proferunt non minus incredibilia, quae suis aestimabuntur locis; nam mihi contuenti se persuasit rerum natura nihil incredibile existimare de ea.' non diffiteor equidem neglegentis scriptoris esse structuram talem, sed in naturali historia quis ubique stili diligentiam requirat? neque alienam esse eam a Pliniano genere dicendi probatur iis quae a Grasbergero de usu Pliniano p. 17 sqq. et a me luc. p. 92 exposita sunt. praeterea cfr. X 32 *Aristoteles negat: non Hercule magis quam in Aegypto ibim, sed illam exosculationem quae saepe cernitur qualem in columbis esse* (dicit), XX 192.

XV 13, ubi olivarum colligendarum tempora indicantur, legimus: *prima ergo ab autumno colligitur vitio operae, non naturae, posia cui plurimum carnis, mox orchites cui olei, post*

radius. has enim ocissime occupat aestas, quia sunt tenerrimae. amurca cogit decidere. differuntur vero etiam in Martium mensem callosae, contra umorem pugnaces ob idque minimae, Licinia, Cominia e. q. s. hic in codicibus omnibus est pluralis numerus *colliguntur,* quem ad posiam solam falso referentes editores in singularem mutaverunt; sed trium generum quae enumerantur collectio intellegenda est neque quicquam mutandum nisi *prima,* in cuius vocabuli fine *e* littera propter sequentes casu intercidit.[7]) nec minus falsum est, ut hoc quoque hic moneam, quod Sillgio auctore ex solo codice a receptum est *occupat aestas,* quod re vera vix potest intellegi et praeter necessitatem orationem abruptam reddit. ceteri rectius habent *occupatas,* quod puncto post *tenerrima* deleto cum verbis posterioribus iungendum esse elucet ex aptissima oppositione, quae in hoc loco manifesta est. posiae enim et orchitae et radii olivae, quia sunt tenerrimae, ocissime umore ideoque amurca (cfr. § 9) occupantur, occupatas amurca cogit decidere; ceterae, quia sunt callosae et contra umorem pugnaces, minus celeriter amurca occupantur nec decidunt, itaque post illas colliguntur atque differuntur etiam in Martium mensem. natum est mendum in codice a ex *at* syllaba falso geminata *occupatatas,* ex quo scriba, de quo infra uberius disputabimus, finxit quod editores iniuria probaverunt.[8]) idem scriba etiam IX 57 *prae-*

---

[7]) Idem mendum nondum sublatum est XXVIII 1, ubi editores cum V^2 singularem numerum scripserunt: *dicta erat natura omnium rerum inter caelum ac terras nascentium restabantque quaequae ex ipsa tellure fodiuntur* cet. sed cum V^1R habeant *dicta erant,* apparet non in verbo erratum esse, sed *e* litteram periisse ante *e* et *o* et correctorem codicis V, qui *erat* de coniectura correxit, parvum errorem auxisse. pluralem numerum, qui recte servatus est in d *dictae erant naturae,* restituendum esse docet vel § 3 *illud admonuisse perquam necessarium est dictas iam a nobis naturas animalium* e. q. s. cfr. etiam XII 1. XI 8. XXXVI 126, alii loci multi.

[8]) Similem errorem librariorum editores agnoverunt X 69 (oti aves) *ponderusculis lapidum adprehensis aut gutture harena repleto stabilitac volant,* ubi codices *stabilitate* exhibent. at nonne scribi poterit *stabilitatae?* nam in voce solitaria apud Plinium vix erit offendendum, qui solus semel usurpavit XXV 51 *sumptitare;* multa alia praebet Wannowskius in Plinianis, Posnaniae 1847. ob hanc causam luc. p. 94 not. 58 suasi ut ex M reciperetur *spiritantes* XI 213.

terquam statis diebus paucis suo Marte posuit *aestatis,* fortasse quia *amstatis* scriptum invenerat; eandemque emendationem saepius librariorum licentia commenta est, ut IX 185, ubi de mirabilibus piscium inimicitiis et concordiis agitur: *Nigidius auctor est praerodere caudam mugili lupum, eosdemque aestatis mensibus concordes esse.* sic falso editores novissimi, nimium freti sola codicum fide, e quibus DFa, ut videtur, *aestatis,* RdT *estatis* habent. sed idem error, quo praecedens vocalis bis scripta erat, creavit hoc vitium, et genuinum est quod olim vulgatum est *statis;* nam etsi Plinius haec e Nigidio sumpsit, profecta tamen sunt ab Aristotele, ex quo Nigidius hauserat; is autem h. a. IX 2 p. 610 B, 10 haec habet: λάβραξ δὲ καὶ κεστρεὺς πολεμιώτατοι ὄντες κατ' ἐνίους καιροὺς συναγελάζονται ἀλλήλοις.

Blanda veritatis specie primo adspectu perquam adridet coniectura qua Detlefsenus *murteo* pro *musteo* posuit XII 29: *piperis arborem iam et Italia habet maiorem myrto nec absimilem. amaritudo grano eadem quae piperi murteo credatur esse. deest tosta illa maturitas ideoque et rugarum colorisque similitudo.* sed *musteo* non modo librorum auctoritate, verum etiam usu Pliniano et huius loci sententia satis firmatur. deceptus enim est doctissimus ille vir fallaci quadam similitudine eorum, quae de myrti bacis XV 118 leguntur: *et alius usus bacae fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illam optinens vicem, in quodam etiam genere opsonii nomine inde tracto, quod etiamnunc myrtatum vocatur.* ubi apertum est desiisse eum usum simulatque piper inventum esset, nec fuisse Plinii aetate; remansisse modo memoriam in nomine myrtati. contra hoc loco agitur non de myrto, sed de alia piperis arbore myrto simili, quae haud multo ante Plinium in Italia seri coepta est (cfr. etiam XVI 136 *vivit in Italia piperis arbor* cet.); huius granis Plinii aequales piperis Indici vice utebantur, quia eadem qua piper musteum amaritudine videbatur esse, quamquam, ut Plinius adicit, deerant cetera quibus Indicum piper praestabat. itaque *musteo* retinendum est, quod significat piper recentissime lectum decerptumque ex arbore, ut XI 240 de caseo, ib. 242 de sapore casei, XIII 50 de palmis, XV 38 et 51 de malis,

ib. 56 de piris, XXXVII 46 de glaeso dicitur. inde etiam coniunctivi illius concessivi *credatur* plana fit ratio[9]: nam cum propter Indiae longinquitatem musteum piper Romam comportari non posset, huius amaritudinem Italorum nemo gustatu noverat; praeterea veri simile est Plinium XV 118 additurum fuisse *ut diximus*, quod nusquam fere omittit, ubi rem iam commemoratam iterat; denique obscuraretur perspicua verborum sequentium oppositio, qua Indici piperis denotetur diversitas, ubi propter litteras vicinas facile credideris periisse *sed* particulam sententiarum nexui aptissimam: *amaritudo eadem credatur esse, sed deest tosta illa maturitas* e. q. s.

Hoc loco de quo modo disputavimus nominis *grani* singularis numerus, ut saepissime, sensu collectivo positus est, quod nescio an in causa fuerit, cur editores spreto unanimo consensu librorum, qui *granis* habent, mox § 30 corrigerent singularis genetivum: *est etiamnum in India piperis grani simile quod vocant caryophyllon.* sed non desunt loci, in quibus pluraliter dictum est *grana*, quamquam eodem sensu etiam singularis usurpari poterat, velut XIII 107 *fructus* (loti) *in capite papaveri similis incisuris omnique alio modo, intus grana ceu milium;* XVII 255 *non inveniuntur intus* (in fico) *grana;* ib. 72 *minimis id* (cupressi semen) *granis constat, vix ut perspici quaedam possint, non omittendo naturae miraculo e tam parvo gigni arbores tanto maiore tritici et hordei grano;* XVIII 125 (siliquae) *passiolorum cum ipsis manduntur granis,* ibidemque 60. 70. 85. 116. 151. XXI 72. XXIV 16. XXV 140. XXVI 163. XXVII 86. 87. 95. XXX 97. itaque miror quid sit cur hoc loco pluralis ferri non posse videatur. quem ut tuendum suscipiam, accedit etiam alia causa eaque multo gravior, quae posita est in constanti adiectivi *similis* usu Pliniano. cum dativo enim, non cum genetivo, hoc adiectivum a Plinio iungi significavi iam luc. p. 32, quod quam recte tum a me pronuntiatum sit,

---

[9]) Eundem intellectum habent etiam coniunctivi qui sunt XI 267 *locustas pinnarum et feminum attritu sonare credatur sane* ibidemque 176 *altera exterior* (fistula) *appelletur sane gula,* quos Detlefsenus non debebat mutare. paulo aliter dictum est XIX 53 *ferendum sane fuerit.*

copiosius nunc explicabo, quoniam, ut tandem conficeretur haec quaestio, a qua pendet vera locorum aliquot existimatio, exempla interim congessi omnia et in numeros consectatus sum. atque additis, ut par est, iis locis 17, in quibus *dissimilis*, et 6, in quibus *absimilis* legitur, praeposita quidem plerumque particula negativa, in tota naturali historia dativi certa indubitataque exempla inveni 434, nec tamen negaverim aliqua me praeteriisse. ad quae accedunt praeterea 96, in quibus, cum primae declinationis singularis positus sit, ambigi possit, sitne genetivus an dativus intellegendus; sed ne in his quidem genetivum agnosci iubent loci, in quibus aliud nomen adiectum legitur, ut II 47 *figuram autem similem metae ac turbini inverso*, XVI 145 *similis est rosae silvestri*, atque etiam in iis locis, in quibus res aliqua cum parte alterius rei comparatur ideoque genetivum per ellipsin usurpatum esse facile suspicere, ut XII 33 *lacrima pretiosa murrae* (lacrimae) *simili*, ib. 39 *folio palmae* (folio) *simili*, IX 175 *capita eorum esse ranae marinae* (capitibus) *similia*, XIX 77 *folia erucae* (foliis) *similia*, dativum recte intellegi posse permultis locis arguitur huius modi: XI 203 *ventres elephanto quattuor, cetera subus similia, pulmo quadruplo maior bubulo*, XII 129 *sapor eius* (malobathri) *nardo similis esse debet*, XXI 89 *foliis croco simillimis;* cetera pleraque collegit Silligius ad XXXII 149, cfr. luc. p. 97 not. 59. ergo omnia dativi exempla numero sunt 530. huic vero inmensae multitudini opposita sunt genetivi exempla non amplius quam 34, quae in Detlefseni editione adhuc exstant. quae qualia sint, singillatim nunc inquiramus.

Ac primum quidem ab hoc numero segregari necesse est omnia ea, in quibus genetivus non pendet ex adiectivo *similis*, sed explicatur ellipsi ea, de qua modo diximus. nam non ubique Plinius in comparatione compendiaria dativum adhibet, sed interdum pleniorem structuram ponit, ut IX 37 (testudines) *pariunt ova avium ovis similia*, XXV 35 *tertii* (hyoscyami generis) *semen irionis semini simile*, VIII 70 (cephorum) *pedes posteriores pedibus humanis . . fuere similes*, aut adiectivo utitur, ut VIII 121 *rostrum* (chamaeleonis) *haut absimile suillo*, IX 23 (delphino est) *pro voce gemitus humano similis*, VIII 155

(Caesaris equus) *similis humanis pedes priores habuisse* (traditur), ut Detlefsenus recte cum F^2 R^2 edidit pro *hominis*, aut per ellipsin genetivum usurpat, cuius generis duodecim sunt exempla haec: V 14 *frondes cupressi similes*, VIII 124 (tarandro est) *villus .. asini similis*, XI 256 (iynx) *linguam serpentium similem .. porrigit*, XV 89 *tertia ab his natura amygdalis tenuiore sed simili iuglandium summo operimento*, XVI 40 (picea resinam) *plurimam fundit interveniente candida gemma, tam simili turis, ut mixta visu discerni non queat*, ib. 46 (laricis) *lignum abietis similius*, XIX 14 (frutex quem gossypion vocant) *parvos est similemque barbatae nucis fructum defert*, XXII 97 (fungorum colos) *habebit veneni argumentum quo similior fuerit arborum*, si quidem recte se habet haec Detlefseni emendatio; XXV 157 (acoron radices habet) *similes iridis*, XXVI 58 *polypodi .. similis filicis radix* (est), XXVII 14 (aloes caulis est) *non dissimilis antherici*, XXXV 142 *cuius* (Nili) *est aqua maris similis*, ubi R praebet *mari.* reliquorum 22 locorum decem deleta, tres addita littera *s*, quae falso aut bis aut semel scripta erat, facillime emendantur.[10]) delenda igitur est littera *s* (quo remedio iam Ianus usus est XIV 128, ubi Silligius ex Dd receperat *bituminis similis*, omnesque editores recentiores correxerunt XIII 55 *lenti* contra MR et ib. 58 *radici* contra M), primum in his participiis XI 147 *marcentis similis* et XI 82 *aliudque agentis similis;* inveniuntur enim praeterea eius modi participiorum certa exempla dativi decem (II 168. V 98. VIII 56. IX 25. 127. XI 9. 53. XVII 210. XXI 18. XXXI 27), e quibus saltem V 98 *temptanti maria similis* haud facile quisquam corruptum dixerit; etiam magis vero a depravationis suspicione vacat pluralis dativus in sex

[10]) Eadem medela lenissima adhibenda est loco adhuc corrupto XXVII 16, ubi de aloes lacrima legitur: *natura eius spissare, densare et leniter calfacere, usus multis, sed principalis alvom solvere* e. q. s. sic Detlefsenus edidit e codicibus; olim correctum est *usus multus*, Silligius et Ianus *usus in multis* pro vero habuerunt. scribendum potius *usus multi* (sunt), *sed principalis* (est) e. q. s., ut est XXXI 62 *praeterea est alius usus multiplex, principalis vero* cet. de plurali numero nominis *usus* cfr. XXVII 58. XXVIII 136. XXIX 35. 37. XXX 123. XXXIV 138. XXXV 182. 190. XXXVI 3. 5.

his: II 156 *sitientibus similes*, VI 189 *montes ardentibus similes rubent*, VIII 216 (simiae gaudent) *gratulationem intellegentibus similes*, XV 103 *similis maturescentibus semper*, XVI 3 *navigantibus similes*, XXXVI 150 *colore illis in Africa nascentibus similis.* nec minorem vim probandi habent dativi participii passivi numero quindecim: II 189 *Aethiopas.. torreri adustisque similes gigni* et V 35. VI 43. 149. XII 37. XIII 45. XIV 14. 41. XXI 93. XXII 91. XXIII 56. XXX 19. XXXIV 60. 136. XXXVII 162. eodem modo non dubito ceteris quoque locis octo deleta *s* littera dativum vindicare: VI 89 *marmor testudinis simile*, VIII 117 (cornua erumpunt) *primo aridae cutis similia*, XXVII 72 *dryopteris filicis similis*, ubi d recte dativum habet, ib. 102 *leuce Mercurialis similis*, ib. 113 (polygonos) *similis graminis. sucus eius infusus naribus* cet., ubi T recte *gramini*, R[1] d *gramine* habent; ib. 123 *dat sucum radix gummis similem*, ubi Silligius *cummi* edidit, Gronovius ad XXII c. 23 voluit *gummibus;* XXXII 86 (alcyoneum) *spongeae putris simile*, ubi Bb recte *putri;* XXXIV 149 (ferrum) *aceto aut alumine inlitum fit aeris simile.* contra addenda est *s* littera falso semel scripta in tribus locis his: VIII 72 *lyncas .. et sphingas .. Aethiopia generat multaque alia monstri similia*, ubi pluralis *monstris* etiam sententiae multo magis convenit, XIII 52 *iunipiri similem habet Phoenice cedrum minorem*, ubi *iunipiris* corrigentes obsequimur auctoritati codicis rescripti M, XXII 93 *siccique et veri similes* (boleti) *veluti guttas in vertice albas ex tunica sua gerunt*, ubi iam Silligius rectissime cum Salmasio scripsit *veris* (ut est XIII 140 *iuncos quoque lapideos perquam similes veris per litora*). itemque etiam eo loco, unde egressa est disputatio, restituimus *granis* consentientibus libris omnibus. sed quid faciamus reliquis locis novem, in quibus minus facile est corrigendo removere genetivos? quoniam in infinita illa copia exemplorum diversi generis numquam non dativus reperitur, Plinium autem constat grammatica studia tractasse et eius modi minutiarum perquam curiosum fuisse, vix relinquitur aliud quam ut dedita opera eum abstinuisse statuamus genetivi usu, secutum in hac re morem saeculi sui et poetarum exemplum Augusteae aetatis (cfr. Madvigius ad

Cic. de fin. p. 624 ed. alt.), et neglexisse quidquid inter genetivum et dativum discriminis excogitatum est. nam si, ut veteres grammatici, voluisset et morum et figurae similitudinem distinguere, genetivum sine dubio adhibere debuit — ut unum exemplum afferam — XIV 91, ubi Cn. Domitii, L. Papirii, M. Catonis abstinentiam et morum simplicitatem cum suorum aequalium insectatione laudibus praedicans illos *in tantum* ait *dissimiles istis, qui etiam convivis alia* (vina) *quam sibimet ipsis ministrent aut procedente mensa subiciant.* rursus idem si 'in animantium, hominum praesertim et deorum, similitudine notanda' genetivum, in rebus comparandis dativum adiectivo adiungere voluisset, quam rationem aperuit Wesenbergius, Madvigius l. l. probavit, erat profecto genetivi occasio ponendi — id quod iam Haasius ad Reisigii scholas not. 550 p. 675 aptissime observavit — in libro VII 51. 52. 53, in quo de mira quorundam hominum similitudine ex professo egit; sed ubique dativum posuit, etiam in his § 51 *quasdam sibi similes semper parere*, ubi alii scriptores semper *sui* dicere solent; ea autem genetivi exempla, quae exstant adhuc in editionibus, adeo non conveniunt huic rationi, ut ei planissime repugnent. una est locutio, in qua antiquioris temporis (v. Ritschelium opusc. II 579) usus obtinuit propterea quod unius nominis instar erat et in formulae usum abierat: locutionem dico, quae est *veri similis.* in hac Plinius quoque genetivum semper adhibuit (cfr. II 167. V 52. X 20. XIII 8. XV 56. XIX 31. XXIII 150. XXIX 2. 76. XXX 97. XXXI 55. XXXIV 29. XXXV 103. XXXVII 25) neque umquam dixit *vero similis*, id quod fecit Livius: cfr. Madvigius emend. Liv. p. 119, Kuehnastius synt. Liv. p. 125.

Quae cum ita sint, non vereor equidem dativum corrigendo restituere iis locis, in quibus sententia per se plana est nec ulla difficultate obscurata, ut XXXI 37 *aquam salubrem aëris quam simillimam esse oportet*, quae sententia illustratur verbis XV 108 *mirum tria naturae praecipua elementa sine sapore esse, sine odore, sine suco, aquas, aëra, ignes*, ut falsus sit O. Schneiderus in indice editionis Silligianae ad *aes* ea verba referens. hoc loco iam in archetypis librorum non satis constitisse

veram scripturam declarant variantes lectiones: in V est *salubris aerem* (apud Silligium *aeri*), in R fortasse idem fuerat, nam corrigendo demum effectum est *aeris:* eo minus dubitari debet, quin dativus scribendus sit, ut XXXVII 115 *aëri similem.* — Eodem modo correxerim XXVI 99 *thelygonon et arrenogonon, quarum semen testium simile est.* hic genetivus est in R a, *testilim* in V, *testilium* in d. eadem comparatione usus infra § 162 Plinius dicit *arsenogoni autem semen geminum esse testibus simile* et paulo supra § 95 (de orchide herba agitur) *gemina radice testiculis simili*: quorum alterutrum hoc quoque loco reponendum erit, mihi probabilius est *testiculis,* scriptum fortasse *testiiulisimile.* — In libro XXXVII, in quo 64 sunt dativi exempla, hoc unum legitur genetivi § 155 *sunt et chelonitides testudinum similes;* sed de his verbis dubitari iubet optimi codicis B auctoritas, qui pro *testudinum* habet *aliorum testudinum superiori,* pro quo Silligius infelicem proposuit coniecturam *labrorum.* maxime accommodatum esset *cortici testudinum superiori,* nisi a litteris longius recederet. — Nec minus iustae dubitationi obnoxia sunt verba XXII 56 *est et lotometra quae fit ex loto sata, ex cuius semine simili mili putri fiunt panes in Aegypto a pastoribus,* ubi V *simillimi* //, R *simillime,* ΘTd *simillimo.* quibus vestigiis ducimur ad id quod olim vulgatum erat *simili milio.* quamquam ferri poterit etiam genetivus per ellipsin explicandus. — Eadem explicatio forsitan adhibenda sit II 147, ubi ferro in Lucania pluisse narratur: *effigies* (eorum) *quae pluit* (effigiei) *spongearum ferri similis fuit,* nam nec *spongearum* nec *ferri* ab adiectivo pendere potest. — XXXII 149 (orcynus) *est pelamydum generis maximus, neque ipse redit in Maeotim, similis tritomi, vetustate melior.* sic B, in R est *triton,* in V *tritom,* in d *trito.* genetivi cum nulla sit causa idonea, correxerim *tritomo.* nec alia res est XXXIII 76, ubi de ulice legitur: *frutex est roris marini similis,* nam probabilem genetivi explicandi rationem non invenio. — Sententiae obscuritate laborant quae IX 151 de malo quodam urinantes in mari infestante narrantur: *ipsi ferunt et nubem quandam crassescere super capita animali planorum piscium similem, prementem eos arcentemque a recipro-*

cando. dedi scripturam meliorum codicum RDFa, quam retinendam esse censeo et verba *planorum piscium* pro genetivis possessionis habenda, ut sit *animal e planorum piscium genere.* priores editores ex deterioribus libris receperant *animalium,* Detlefsenus ex eo de coniectura fecit parenthesin *animal id,* sed sententiam nihilo magis illustratam et explanatam video: quare satius duco meliores libros sequi, quorum scriptura non adversetur consuetudini Plinii. — Ultimum denique exemplum genetivi est X 127 (de Diomediis avibus): *uno hae in loco totius orbis visuntur, in insula quam diximus nobilem Diomedis tumulo atque delubro, contra Apuliae oram, fulicarum similes. advenas barbaros clangore infestant, Graecis tantum adulantur miro discrimine.* hic quoque locus gravissimam movet depravationis suspicionem, certe, si verbis *fulicarum similes* figura avium significaretur, sententiarum ordo pessime turbatus esset multoque aptius illa in § 126 transponerentur, sicuti apud Solinum 2, 45 haec leguntur continuata: *forma illis paene quae fulicis, color candidus, ignei oculi, ora dentata.* sed probabilius mihi est iam ante Solini aetatem *similes* vitiose scriptum fuisse pro *simili* ita coniuncto cum verbis insequentibus, ut Diomediarum avium clangor similis diceretur esse clangori fulicarum, de quo cfr. XVIII 361. atque haec quidem hactenus de structura adiectivi quod est *similis.*

Nimia patientia tulerunt editores, quod contra omnium bonorum codicum consensionem vulgatum est XIV 130, nam etsi multas in Plinio structuras contortas et inpeditas ferri necesse est, fractae tamen et aperte claudicantes ferri nequeunt.[11])

[11]) Plinii dicendi genus multi reformidaverunt et vituperaverunt; nemo, opinor, acerbius salsiusque quam Schopenhauerus, qui de illo eiusque dictione paene irato animo dicit paralip. II p. 402: 'Von seinem Selbstdenken mir hohe Begriffe zu geben ist weder seine urtheilslose Leichtgläubigkeit noch sein unaussprechlich widerwärtiger, schwer verständlicher, papiersparender Collectaneenstil geeignet.' quod eo magis mirum, cum haud pauci loci per totum opus dispersi sint, quibus argumenti sententiarumque ratione et dicendi argutiis, venustate, elatione illum vel maxime oblectari consentaneum erat. neque quemquam qui naturalem historiam attente perlegerit, fallere poterit, quantam Plinii de dis, de natura rerum, de miseria sortis humanae, de morte placita

sunt autem eorum, quae vino addi dicuntur, extrema haec: *et adicimus tinguendi gratia colores, ut pigmentum aliquod vini, atque ita pinguius fieri. tot veneficiis placere cogitur, et miramur etiam noxium esse.* ita scriptum est in omnibus editionibus, quoniam quod codices habent *addiscimus* sensu plane caret. Silligio si credimus, *adicimus* illud petitum est e codice Salmanticensi, sed prona est suspicio, fictum esse ad similitudinem huius loci XIV 84: *his adiciunt aliqui quod vocant diachyton uvis in sole siccatis ... ita fieri optimi odoris saporisque,* ubi quantum emolliatur structurae duritia tertia persona verbi posita et deficiente copula *atque,* statim elucet: tacite enim intellegitur dicendi verbum, a quo pendeat oratio obliqua. hoc autem loco frustra quaesiveris, quo referatur infinitivus *fieri.* quare Pintianus voluit *adici mos* (de qua structura v. XIX 73. XXI 4. XXVIII 36. XXV 77. XXIX 54) ne sic quidem commode succurrens perversae orationis formae. at verba nec vitiata sunt nec mutilata, dummodo litteras *addiscimus* recte distinguas; omnia recte procedent, si leges: *et addi scimus tinguendi gratia colores* e. q. s. similiter dictum est XXII 3 *iam vero infici vestes scimus admirabili fuco.* cfr. VII 78. VIII 119. XIX 35. XX 199. XXI 57. XXV 16. XXVI 123. XXXIII 143. XXXVI 159. *addendi* autem verbi usus in his praeceptis longe est frequentissimus, *adiciendi* multo rarior, ut XIII 15. XIV 102. 113. XXII 129.

Haud aliter peccatum est in his: XV 58 *conduntur vero pira ut uvae, ac totidem modis, neque aliud in cadis praeterquam prunae. pomis proprietas pirisque vini, similiterque in aegris medentes cavent.* prunas h. e. carbones ardentes in pirorum genere esse et in cadis condi cui non risum moveat? itaque priores, ut absurdam hanc rationem tollerent, illud *e,* quo *pruna,* utilis pomorum species, falso in prunas mutata sunt, simpliciter deleverunt. sed multo simplicius est litteras syllabasque recte separare hoc modo: *neque aliud in cadis praeter-*

---

similitudinem habeant et communionem cum illo quem novicia voce nunc appellant pessimismo, cuius nostra aetate resuscitandi ipse Schopenhauerus auctor ac princeps exstitit.

quam pruna. e pomis proprietas piris quae vini e. q. s. hac ratione non modo intolerabiles illas prunas exstinguimus, sed pomis etiam propria ac sua restituitur notio, qua varia intelleguntur fructuum genera, et quam recte illa a Plinio dici potuerint, luculenter apparet ex his: XXIII 115 *pirorum omnium cibus etiam valentibus onerosus, aegris vini quoque modo negatur.* in *piris* et *vini* casibus variis nulla est offensio.

Denique idem remedium adhibendum est IX 170, ubi corrupti quidem codices sunt et ab altera manu perperam correcti, sed ea in quibus omnes consentiunt vera et genuina esse videntur. agitur autem de Luculli magnifico piscium vivario iuxta Neapolim exstructo, de quo apud Detlefsenum nunc legimus: |*XL*| *HS. piscinae a defuncto illo veniere pisces.* numerum quidem sine dubio recte scripsit, sed reliquam orationis pravitatem non removit. pro numero autem et sestertiorum signo cum a[1] praebeat *XL in sae,* a[2] *XL pinsae,* F[1] *hii se,* R[1] *XL huse,* R[2] *ipse,* manifestum est librarios omnes ante *piscinae* vidisse *e* vocalem, unde nascitur litteris rectius distinctis emendatio et sensu et dicendi genere commendabilis: |*XL*| *HS. e piscina ea defuncto illo veniere pisces,* ad quam redeunt etiam ea quae dT habent *e piscina.*

II

Veniamus nunc ad locos aliquot, in quibus antiquissimi codicis rescripti M scriptura aut sola aut aliorum consensu firmata a neglectu vindicanda esse videatur.

Atque nonnullis quidem locis succurrit ei Aristotelis auctoritas, velut XI 60, ubi vulgatum est: *est in exemplis equos ab iis* (apibus) *occisos,* ne librario vitio vertamus quod in M legitur *occisus,* suadet Arist. h. a. IX 40 p. 626 A, 22 καὶ ἵππος ἤδη ἀπέθανεν ὑπὸ μελιττῶν. nam *equos* etiam in M nominativi vicem obtinere posse probant exempla a Felsio p. 6 sq. collecta; ex aliis codicibus recepit Detlefsenus VIII 157. 172. multo autem probabilius est *occisos* e librariorum studio corrigendi, quam *occisus* ex errore natum esse.

Graviore mendo deformata sunt quae de quorundam animalium sanguine exponuntur XI 222 *taurorum celerrime coit atque durescit, ideo pestifer potu maxime. aprorum ac cervorum caprearumque et bubalorum omnium non spissatur.* haec ex Aristotele desumpta, sed ita vitiata sunt, ut eius sententiae plane refragentur; ille enim h. a. III 6 p. 515 B, 30 sq. fibrarum quoddam genus dicit in sanguine gigni, quibus exemptis sanguinem coire, non exemptis non coire: ἐν μὲν οὖν τῷ τῶν πλείστων αἵματι ζῴων ἔνεισιν, ἐν δὲ τῷ τῆς ἐλάφου καὶ προκὸς καὶ βουβαλίδος καὶ ἄλλων τινῶν οὐκ ἔνεισιν ἶνες· διὸ καὶ οὐ πήγνυται αὐτῶν τὸ αἷμα ὁμοίως τοῖς ἄλλοις, eademque repetit ib. c. 19 p. 520 B, 23 sq., ubi addit τάχιστα δὲ πήγνυται τὸ τοῦ ταύρου αἷμα πάντων, denique taurorum et aprorum sanguinem fibris admodum multis crassisque refertum esse dicit idem de part. anim. II 4 p. 651 A, 2: διὸ οἱ ταῦροι καὶ οἱ καπροὶ θυμώδεις καὶ ἐκστατικοί· τὸ γὰρ αἷμα τούτων ἰνωδέστατον, καὶ τό γε τοῦ ταύρου τάχιστα πήγνυται πάντων. unde apparet Aristotelis de aprorum sanguine sententiam multum differre ab ea, quae verbis Plinianis indicatur: simillimum esse statuit taurino, dissimillimum cervino sanguini. eandem autem Plinius quoque prodit, dummodo codicum memoriam rectius censeamus. nam pro vitioso illo *ac*, quod ab interpolatore quondam infelicissime excogitatum transiit in D²Θd pro *a*, quod in D¹a est, MR habent *ad*, ut *at* genuinum esse facile credas, pro *maxime* in R est *proxume*, in M evanuerunt quidem litterae, sed spatio punctis a Moneo indicato credibile fit, hic quoque *proxime* scriptum fuisse. praeterea miror quid sibi velit *omnium*, quandoquidem bubalorum nomen non genus, sed unam speciem animalium significat; itaque cum R habeat *omnim onos*, proposuerim equidem *omnino non*, quod optime quadrat ad durescendi diversos gradus antea notatos. haec igitur vestigia secutus locum hoc modo restituendum puto: *taurorum celerrime coit atque durescit — ideo pestifer potu —, proxume aprorum, at cervorum caprearumque et bubalorum omnino non spissatur.*

In proxima § 223 cum M scribendum esse: *profluvium eius* (sanguinis) *uni fit in maribus homini, aliis nare alterutra*

vel utraque, quibusdam per inferna, multis per ora cet. iam Madvigius[12]) advers. crit. II 526 vidit, etsi nesciebat accedere etiam Aristotelis consensum, qui h. a. III 19 p. 521 A, 18 dicit: νενοϲηκότοϲ δ' αἵματοϲ αἱμορροΐϲ ἥ τ' ἐν ταῖϲ ῥιϲὶ καὶ ἡ περὶ τὴν ἕδραν καὶ ἰξία, ibidemque v. 28 de feminarum et marium diversitate adicit: τῶν δ' ἄλλων νοϲηματικῶν ἧττον μετέχουϲιν αἱ γυναῖκεϲ. ὀλίγαιϲ δὲ γίνεται ἰξία καὶ αἱμορροΐϲ καὶ ἐκ ῥινῶν ῥύϲιϲ. quae quamquam non ad verbum conveniunt, faciunt tamen ad scripturam codicis M confirmandam.

XI 38 quod in M legitur *quo fit palam* iniuria ab editoribus damnatum est. Ianus cum Silligio ex d recepit adulteratam lectionem *quod fit palam,* Detlefsenus autem ad coniecturam confugiens ex *cofit* (in a, cui nimiam auctoritatem tribuere solet) fecit *coit,* fortassis quia deinceps sequitur § 39 *thymosum non coit,* sed, ut omittam *palam* non habere aptum intellectum, haec verba rectius opponuntur iis quae proxime antecedunt *quod concrescit autem minime laudatur.* confugiendum est potius ad Aristotelem, cuius auxilio ex M ceterisque codi-

[12]) Perpaucos tantummodo locos naturalis historiae tractavit Madvigius, sed duobus in eandem cum eo sententiam incidi: nam quomodo XI 283. 284 recte distinguendum esset et XII 20 *purae et enodis materiae* coniciendum esse in schedis meis iam adnotatum erat, cum Madvigiani operis volumen alterum ad me perlatum est. quas emendationes mihi nunc praereptas esse non doleo, sed tanti viri consensu eo magis adducor, ut veras eas esse confidam. sed non probo, quod XI 69 proposuit *vita his* (apibus) *longissima.. septeni anni,* nam ablativus, quem libri tradunt, non repugnat stilo Plinii, qui eodem modo dixit VIII 178 *vita feminis XV annis longissima,* XI 120 *mutationes et in alias figuras transitus trinis aut quadrinis diebus,* XXI 69 *vita longissima violae albae trimatu,* VI 91 *vitam hominum centum annis modicam,* II 215 *multiplex etiamnum lunaris differentia primumque septenis diebus,* ubi ablativi nisi violenta mutatione removeri non possunt. etiam genetivum posuit IX 53 *vita longissima his* (thynnis) *bienni,* quod editores iure receperunt (cfr. VI 153. 213. 214. 217 sqq. XVIII 122), quamquam in R altera manus correxit *biennium;* olim vulgatum erat *biennio.* nec magis viro doctissimo assentior de loco difficillimo XI 90 *homini icto* (a scorpione) *putatur esse remedio ipsorum cinis potus in vino. magnam adversitatem oleo mersis et stellionibus putant esse, innocuis duntaxat iis, qui et ipsi carent sanguine, lacertarum figura, atque scorpiones in totum*

cibus toti loco pessime adhuc turbato genuina ac legitima forma sic restituitur:

in omni melle quod per se fluxit, ut mustum oleumque, appellatur acetum. ‖ *maxime laudabile est aestivum, omne rutilum, ut siccioribus confectum diebus.* ‖ *album mel non fit ubi thymum est, sed oculis et ulceribus aptissimum existimatur.* ‖ *e thymo coloris aurei, saporis gratissimi, quo fit palam; e doliolis pingue, e marino rore spissum.*	τοῦ δὲ μέλιτος τὸ μὲν ἀσθενὲς ἀεὶ ἄνω ἐπιπολάζει, ὃ δεῖ ἀφαιρεῖν, τὸ δὲ καθαρὸν κάτω (IX 40 p. 627 A, 4). αὐχμοῦ μὲν ὄντος μέλι ἐργάζονται μᾶλλον (V 22 p. 553 B, 21). τὸ δὲ λευκὸν οὐκ ἐκ θύμου εἰλικρινοῦς, ἀγαθὸν δὲ πρὸς ὀφθαλμοὺς καὶ ἕλκη (IX 40 p. 627 A 2). ἔστι δὲ καλὸν τὸ χρυσοειδές (ibid.). δῆλον δ' ἐστὶν εὐθέως τὸ ἀπὸ τοῦ θύμου· διαφέρει γὰρ τῇ γλυκύτητι καὶ τῷ πάχει (V 22 p. 554 A, 10).

---

nulli nocere, quibus non sit sanguis, in quibus verbis interpretandis omnes qui versiones ediderunt vehementer inter se dissident. Madvigius cum (ut Noltenius quaest. Plin. p. 17) *adversitatem* de inimicitiis et pugnis scorpionum cum stellionibus dictam esse putaret, contra codices nonnulla mutavit; sed haec vox solitaria significat potius antidotum sive remedium quod contrarium est sive adversatur veneno, ut dictum est XXIII 134 (mori) *sucus adversatur venenis serpentium,* ibid. 135 *adversatur aconito et araneis in vino potus,* XXIX 73 *scorpio tritus stellionum veneno adversatur* et XX 25. 84. 117. 195. XXIII 111. 112. 118. 138. XXIV 13. 44 cet. iam vero ut ex XXIX 73 discimus scorpionem remedio fuisse contra stellionis morsum, ita rursus stellionem contra scorpionis venenum docent haec XXIX 90 *scorpionibus contrarius maxime invicem stellio traditur.. itaque in oleo putrefaciunt eum et ita vulnera perungunt. quidam oleo illo spumam argenteam decocunt ad emplastri genus atque ita inlinunt.* ab his igitur verbis proficiscendum videtur in interpretando eo de quo agitur loco, in quo nihil mutaverim nisi *aeque* pro *atque.* sententiam hac enarratione explanabo: praeter scorpionis cinerem in vino potum (cfr. XXIX 91) exstat alterum quoque remedium: adversari enim scorpionis veneno putant etiam stelliones oleo mersos, animalia pestifera et quorum ii duntaxat innocui sint, qui et ipsi careant sanguine, lacertarum figura; aeque scorpiones, quibus non sit sanguis, in totum nulli nocere. haec igitur interpretatio mihi maxime probatur. poterunt quidem verba etiam sic intellegi: adversari putant scorpiones oleo mer-

in his nihil contra codices mutatum, nisi quod *pingue* pro *pingui* positum et ante *doliolis* concinnitatis causa inserta est *e* praepositio, quamquam hac quoque carere possumus. fortasse tamen ante *doliolis* lacunae signum ponendum erit, nam floris nomen desideraveris; cfr. Schneiderus ad Varr. III 16, 26. an potius *e violis* (cfr. XXI 70)? de locutione *quo palam fit* v. II 51. 245. XXX 64, *palam facere* XIV 65, *palam est* II 54. 116. III 40. XII 83. XVIII 104. XXI 2. XXVIII 118. XXIX 11. XXXI 77. 106. XXXV 15. XXXVII 8.

Nec aliter res se habet XI 46, ubi de apium generatione Plinius duas prodit eruditorum sententias inter se contrarias, non omnibus ille quidem rebus plane conveniens cum Aristotele, sed ita tamen ut huius verba eum secutum esse negari non queat. qui locus, si exceperis verborum *atque apte* traiectionem necessariam, in M recte sic traditus est: *plures existimavere ore confingi, compositas apte atque utiliter, aliqui coitu unius, qui rex in quoque appelletur examine.* nec multum differunt ceteri libri, nam quod *compositis* praebent et in DFad omissum est *apte*, ea ad librarii archetypi errorem haud dubie revocanda erunt; *oportere confici* autem, quod omnes exhibent, convincitur verbis Aristotelis V 22 p. 553 B, 24 εἶτα τὸν γόνον ἐναφιᾶσιν, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσιν, ἐκ τοῦ στόματος, ὅσοι φέρειν φασὶν ἄλλοθεν· et Vergilii georg. IV 200 *verum ipsae e foliis natos* (fetus) *et suavibus herbis ore legunt.* sed controversum est *compositis*, quod editores de floribus intellegendum esse arbitrati sunt, in his Detlefsenus, qui, ut omnem cum Aristotele dissensionem tolleret, *calami atque olivae* reposuit pro *apte atque utiliter*, coniectura tam violenta, ut praeter copulam vix tres litterae in suo loco remaneant, nec tamen

---

sos etiam stellionibus, innocuos duntaxat iis, qui et ipsi careant sanguine, lacertarum figura, atque scorpiones in totum nullis nocere, quibus non sit sanguis. quamquam de scorpionibus oleo mersis nihil alibi Plinius narrat et perquam ambigua et perplexa esset oratio, si hunc sensum haberet. praeterea obiter moneo, quod Noltenius l. l. coniecit, verba § 91 *chamaeleonum — araneis* 'e posteriore lectione margini adscripta' esse, id redargui verbis *similis cicadis vita*, quibus transitus paratur ad proxime sequentia quaeque pertinent ad ea quae attrectavit.

idonea quae efficiat illum quem desiderat consensum. nam longe alia narrat Aristoteles, qui de iis, qui apes nec parere nec coire, sed prolem aliunde ferre dicebant, V 21 p. 553 A, 20 habet haec: φέρειν οἱ μὲν (φασίν) ἀπὸ τοῦ καλλύντρου, οἱ δ' ἀπὸ τοῦ ἄνθους τοῦ καλάμου, ἄλλοι δ' ἀπὸ τοῦ ἄνθους τῆς ἐλαίας. primum igitur tria indicantur florum genera, callyntri, calami, olivae, quorum cur calami atque olivae flores Plinius commemoraverit, callyntri omiserit non liquet. deinde vero componi ab apibus hos flores diversos tantum abest ut significet Aristoteles, ut eruditorum dicat de florum genere sententiae triplicem esse diversitatem: alii enim callyntri, alii calami, alii olivae flores nominant, ut certe pro *atque* multo rectius exspectaveris *aut*. itaque duorum alterutrum necesse est statui: si compilavit Plinius hunc locum Aristotelicum, *compositis* ferri non potest; sin autem *compositis* librariorum errori tribuere nolumus, desinamus oportet fallacem quandam cum Aristotele consensionem e verbis extorquere. denique adverbiis *apte atque utiliter* carere vix possumus propter ea, quae Plinius huic existimationi, alioquin vero propiori, § 47 obicit: quae quidem verba commodum intellectum non haberent, nisi apes putaret ipsas scire, quid sibi aptum atque utile esset. nam incredibile ait esse ab apibus consulto confingi apes grandiores et sibimet ipsis noxias. quae cum ita sint, donec verius quid inventum erit, retinebo equidem scripturam, quae antiquissimi libri testimonio satis commendetur, *compositas*, de apibus dictum mira arte compositis ex florum materia: hos autem flores summatim Plinius indicat, omissa diversorum generum enumeratione illa, quae est apud Aristotelem. permirum sane fateor esse apes sic compositas dici, ut unguenta, ut medicamenta ex pluribus materiis: sed re vera hoc non magis incredibile est quam alterum illud, quod vulgo legitur: tota nimirum sententia rationi repugnat. quam quibus argumentis Aristoteles copiose refutaverit, vide de gener. anim. III 10.

His adiungo etiam XI 220, ubi M non incorruptus quidem est, sed vestigia veri tam perspicue servavit, ut Aristotele adiutore facile inveniri et restitui possit: *venae in praetenues postremo fimbrias subter totam cutem dispersae adeo in angustam*

subtilitatem tenuantur, ut penetrare sanguis non possit aliudve quam exilis umor ab illo qui cacuminibus innumeris sudor appellatur. in his quonam modo editores verba typis insignita intellexerint miror. hoc vero non dubium, quin liberius translata sint Aristotelis verba de part. an. III 5 p. 668 B, 1: ἐκ μειζόνων δ' εἰς ἐλάσσους αἱ φλέβες ἀεὶ προέρχονται ἕως τοῦ γενέσθαι τοὺς πόρους ἐλάσσους τῆς τοῦ αἵματος παχύτητος· δι' ὧν τῷ μὲν αἵματι δίοδος οὐκ ἔστι, τῷ δὲ περιττώματι τῆς ὑγρᾶς ἰκμάδος, ὃν καλοῦμεν ἱδρῶτα, καὶ τοῦτο διαθερμανθέντος τοῦ σώματος καὶ τῶν φλεβίων ἀναστομωθέντων. sudor igitur est ille umor, qui excernitur corpore calente et venarum clausulis patefactis. quare, cum M exhibeat *exitus*, non inprobabile erit scribere *excitus umor ab illo*, ac forsitan relativum pronomen post *innumeris* ponendum sit. mendum ita latius serpsit, ut pro *exitus* scriberetur *exilus*, ex hoc autem fieret *exilis*.

Eidem codici M Theophrastus quoque nonnullis locis praesidio est. nam XIII 58 post Aegyptiam Cypria ficus secundum Theophr. h. pl. IV 2, 3 ita describitur, ut paene verbum e verbo expressum sit: *huic similis quadamtenus quae vocatur Cypria ficus in Creta. nam et illa caudice ipso fert pomum et ramis, cum in crassitudinem adolevere, sed haec germen emittit sine ullis foliis radici simile.* in his si *illa* ad ficum Aegyptiam, *haec* ad Cypriam referremus, violaretur descriptionis veritas. nam Aegyptiam ficum pomum ferre non ramis, sed caudice ipso paulo supra (§ 56) dictum est, de quibus verbis ne dubites, affero Theophr. IV 2, 1: τὸν δὲ καρπὸν ἰδίως φέρει παρὰ τὰ ἄλλα... οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν βλαστῶν οὐδ' ἀπὸ τῶν ἀκρεμόνων, ἀλλ' ἐκ τοῦ στελέχους, ut falsus sit Solinus 32, 34, cum pro verbis Plinianis poneret *poma non ramis tantum gestitans, sed et caudice.* sed totam sententiam de Cypria intellegentibus molestissima nobis est absurda oppositio pronominum *illa* et *haec* ad unam eandemque rem in eadem verborum comprehensione pertinentium; quam ut tollamus, aut *haec* delendum est, ut simillima fiat oratio verbis Theophrasteis: καὶ γὰρ ἐκείνη φέρει τὸν καρπὸν ἐκ τοῦ στελέχους καὶ ἐκ τῶν παχυτάτων ἀκρεμόνων, πλὴν ὅτι βλαστόν

τινα ἀφίησι μικρὸν ἄφυλλον ὥσπερ ῥιζίον, aut *et ipsa* ex M reponendum est. ego hanc rationem praetulerim, ut quae neque a librorum memoria recedat et peccati originem patefaciat: nam pronominis *ipse* geminatio auribus ingrata movit librarium archetypi eius, ex quo ceteri codices manasse putandi sunt, ut *illa* pro *ipsa* corrigeret.

XIII 53 *cedro similis in Arcadia est arbor, in Phrygia frutex vocatur cedrys.* quod M habet *cedris,* id non modo cedri fructus significare (cfr. XXIV 20), sed etiam legitimum et genuinum fruticis nomen esse discimus ex Theophr. h. pl. I 9, 4: τῶν δὲ θαμνωδῶν κιττός, βάτος, ῥάμνος, κάλαμος, κεδρίς· ἔστι γάρ τι μικρόν, ὃ οὐ δενδροῦται. quem locum miror fugisse etiam Schneideri industriam, qui Theophr. edit. tom. III p. 52 citat Plinii XVI 80, ubi nulla huius fruticis mentio fit.

Denique alterius quoque plantae nomen communi codicis rescripti et Theophrasti auctoritate commendatur XIII 128 *frutectosi est generis et saripha circa Nilum nascens* cet., qui locus paucioribus quidem, sed iisdem fere verbis ex h. pl. IV 8, 5 (τὸ δὲ σάρι φύεται μὲν ἐν τῷ ὕδατι περὶ τὰ ἕλη cet.) translatus est. *saripha* debetur soli d, in Da est *sarifa,* in M *sa.ri,* quamquam in indice huius libri et ipse *saripha* praebet. apud Graecos nulla forma alia in usu fuit quam σάρι, nisi quod Hesychius s. v. nominat etiam σαρίν, σαρόν, φυτόν τι γινόμενον ἐν τοῖς κατ' Αἴγυπτον ἕλεσιν. *saripha* autem cum Moneo teste idem sit ac *sari* cum articulo definito coniunctum, nonne tutissimum est, cum M hoc loco *sari,* in indice *saripha* scribere? nam cum indices singulis libris in plerisque codicibus praemitterentur, eo facilius poterat fieri, ut librarius discrepantia aliqua nominum offenderetur et ex indice libri textum suo Marte emendaret.

Adversari videtur Theophrastus codici M et vulgatam lectionem tueri, cum de fructu alterius generis feminae terebinthi dicat h. pl. III 15, 3 μέγεθος ἡλίκον κύαμον, ῥητινώδη δὲ καὶ θυωδέστερον, itemque Plinius XIII 54 *non grandior faba, odore iucundior, tactu resinosus.* sed non videtur comparatio intellegenda esse cum faba aut cum alterius generis

fructu; itaque haud scio an tenendum sit quod non modo M, sed etiam R (non enotavit Silligius) habet *iucundus*. pronum enim erat comparativum continuare, cum *grandior* praecederet.

Non alienum erit hoc loco adicere XIII 118, ubi perspicuum fit, quantam recentiores codices omnes experti sint interpolatorum licentiam. nam ex his in editionibus vulgatum est de euonymo arbore: *flore candidiore, statim pestem denuntians,* quibus in verbis cum rebus aliis, tum comparativo adiectivi *candidus* (cfr. VI 203. XVI 21. 27. XIX 13. 132. XX 93. 96. 110. 163. 231. 245. XXI 95. XXII 45. 63. 159), qui intellectu careat, iure offendimur. depravationis progressus evidenter cognoscitur ex M, in quo solo genuinae scripturae reliquiae supersunt: recte enim habet genetivos *floris candidi*, ex *ore* autem faciendum esse *odore* documento est Theophr. h. pl. III 18, 13 τὸ δὲ ἄνθος ὅμοιον τὴν χρόαν τῷ λευκῷ ἴῳ· ὄζει δὲ δεινὸν ὥσπερ φόνου, id quod non fugit perspicacitatem Pintiani. simili errore pro *marino rore* scriptum erat *marinore* XI 38, aliaque multa afferri possunt.

Eiusdem generis vitium auctoritate codicis rescripti convincitur etiam XIV 106, ubi, cum in his quae habet M: *nec ante tres menses vas aperiri,* verborum structura non constare videretur, in recentioribus libris licenter correctum est *vase aperto*. verum tamen non in his verbis mendum quaerendum erat, sed in NECANTE, quod falso ortum erat ex VETANTE, in quo syllaba ANT bis scribenda fuit: *vetant ante*. eodem modo vetandi verbum saepe usurpatur in huius modi praeceptis, ut X 150. 151. XI 34. XVII 157. 188. 200. 207. XVIII 101. 191. XIX 112. XX 200. XXII 136. XXV 61 cet. et simillime XIV 135 *aperiri vetant nisi sereno die.*

Dioscorides cum M facit loco adhuc dubio controversoque XII 97, ubi excepta voce *longissimi*, pro qua Felsii coniectura *largissima* magis placebat, M sequendum esse luc. p. 89 docui; et talem postea Detlefsenus textum constituit, acquiescens tamen in ceterorum librorum scriptura *mollissimi*. sed nunc in hoc quoque adiectivo M plus fidei habendum esse mihi persuasi. nam cum totus fere hic locus qui est de

casia[13]) multum discrepet ab iis quae Dioscorides I 12 de casia exponit (perpauca, quae utrique communia sunt, paulo post afferam), cumque Plinius XIII 129, ubi describit malobathrum, nullam fere communionem habeat cum Dioscoride I 11, haec ipsa autem, quae de casia § 97 narrantur, perspicuam similitudinem prae se ferant cum iis, quae apud Dioscoridem I 11 de malobathro leguntur, facile ego crediderim, ab alterutro diversa inter se confusa et permutata esse, praesertim cum de his arboribus iam apud veteres controversiam fuisse ex Dioscoridea descriptione concludi possit et recentiores herbarii docti, ut Garcias, cui Sprengelius (comm. ad Diosc. II p. 348) adstipulatur, malobathrum folium casiae esse censeant. haec autem utriusque conspiratio quo magis appareat, eorum verba subiciam:

probatur recens maxime et quae sit odoris longissimi gustuque quam minime fervens potiusque[14]) *lento tepore leniter mordens.*

ἔστι δὲ καλὸν τὸ πρόσφατον (i. e. recens) .. πληκτικὸν τῇ ὀσμῇ καὶ ἐπιδιαμένον τῇ εὐωδίᾳ, ναρδίζον δὲ καὶ τῇ γεύσει μὴ ἁλμυρίζον.

ex verbis Graecis manifesta est vera *odoris longissimi* significatio, quam recte iam Ianus coniecit in Fleckeiseni annal. 1866 p. 691 et munivit coll. XVII 7 *longiores desiderant cibos.*

Item mihi iterandus est de casia locus § 95, ubi leni verborum traiectione adhibita secundum M *cortice, quem contra atque in cinnamo diximus labare et exinaniri pretium est* scri-

---

[13]) Ex quibus fontibus Plinius hoc loco maxime hauserit, non videtur exquiri posse, nam cum longe plurimarum arborum, quae libris XII et XIII tractantur, descriptiones ad Theophrastum et Dioscoridis fontes redeant, hoc loco praeter § 96, quae exscripta est ex Theophr. h. pl. IX 5, 3, certi nihil indicari potest.

[14]) Antehac falso vulgatum erat *quam maxime fervens potius quam*, mendo eodem, quo XII 65 etiamnunc inquinatum est: (tus) *probatur candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat, item ne dentem recipiat potius quam in micas frietur.* nam sic Detlefsenus quoque ex solo codice d, quem nihili facit, scripsit contra DaT, qui rectissime exhibent *potiusque.* cum enim fragilitas turis sinceri proprium indicium esse modo dictum sit, quid perversius quam dicere tus dentem potius

bendum esse luc. p. 22 dixi. quod quamquam Iano non probatum est (l. l. p. 682), probavit tamen Detlefsenus, simul autem *labare* mutavit in *livere*, deceptus ille quidem nimia aestimatione correctoris D², qui § 92 exhibet: *damnatur in primis* (cinnamum) *molle aut cui livet cortex.* sed neque hic neque illic hanc mutationem aptam esse Dioscorides declarat, qui de cinnami quinto genere I 13 dicit: προcεμφερὲc τὸν φλοιὸν καccίᾳ πυρρᾷ, πρὸc τὴν ἁφὴν δὲ cτερεόν h. e. corticem esse casiae rufae similem, non tamen labantem, ut casiae, sed tangenti solidum; idemque I 12 ἔcτι δέ τιc ψευδοκαccία ἀφάτωc ἐμφερήc, ἥτιc ἐλέγχεται τῇ γεύcει, οὐκ οὖcα δριμεῖα οὐδὲ ἀρωματώδηc, προcεχόμενόν τε τὸν φλοιὸν ἔχει τῇ ἐντεριώνῃ. duplex igitur est probatio spuriae casiae et gustu et cortice medullae adhaerente i. e. non labante, quo sincera et genuina casia deprehenditur. praeterea argumento est, quod secundum Theophrastum § 96 vermiculi dicuntur coriis putrescentibus allici, ut lignum erodant excaventque corticem. itaque correctori codicis D, qui, ut infra pluribus documentis evincemus, nonnumquam licentia grassatus est, tantum abest ut obsequamur, ut § 95 cum MD¹ ΘdT *labare* firmiter teneamus (de quo verbo cfr. etiam XVII 107 *labat nimio umore cortex*) eorundemque auctoritate freti e contrario verbum *labet* etiam § 92 reponamus emendatione certissima, cum una littera diversa in D¹aΘ *labit* scriptum sit, unde dT falso *labitur* effecerunt. sic Harduinus quoque *labat* emendare voluerat, sed fugit eum coniunctivum postulari in huius generis enuntiatis relativis constanti usu non aliorum modo scriptorum, sed etiam Plinii, quem usum frustul. Plin. p. 32 sq.[15]) exemplis illustravi. sed

recipere quam in micas friari? hoc esset materiae lentae et mollis, non fragilis. immo contrarium necesse est dici in micas potius friari tus quam dentem recipere. praeterea obiter moneo, vocem *amplitudine* mihi suspectam esse, cum amplitudo facillime possit adulterando effici totumque adulterandi lucrum in amplitudine positum sit; sed quid cum probabilitate aliqua reponam, nondum habeo. in Dioscoride nihil repperi, quod emendationi idoneum esset. ceterum amat Plinius *potiusque* ponere in conectendis sententiis contrariis, ut XI 56. 211. XXVIII 2. XXXV 132.

[15]) Insertum est hoc commentariolum ei libello, quo societas latina

horum quoniam nonnulla interim a Detlefseno mutata video, non supervacanei operis erit eandem rem iterum attingere magisque confirmare, simul ut cetera quae antea me praeterierant exempla subiciam. atque haec quidem enuntiata omnia ita comparata sunt, ut adiectivo alicui particulis quae sunt *et*, *que*, *nec* et rarius *sed*, *tamen* adnexa quasi alterius adiectivi vice fungantur: novam enim continent qualitatem similem contrariamve communi ad quod pertinent nomini substantivo attribuendam. itaque coniunctivi in his necessaria ratio est, cum pronominis relativi eadem sit vis ac potestas atque *ut* particulae consecutivae, id quod evidens est ex locis his, in quibus pro *ut* etiam relativum pronomen iustum et legitimum locum habuerit: XI 125 *coclcis semper bina et ut protendantur ac resiliant* et XXI 86 *Aegyptus frugum fertilissima, sed ut prope sola iis carere possit.* horum igitur enuntiatorum praeter illa 33, quae l. l. congessi, exempla nunc habeo certa haec 22: V 23 *a Tusca Zeugitana et quae proprie vocetur Africa est,* VI 50 *multitudo populorum innumera et quae cum Parthis ex aequo degat,* XI 139 *subiacent oculi, pars corporis pretiosissima et quae lucis usu vitam distinguat a morte,* XVIII 121 (faba) *in Mauretania silvestris passim, sed praedura et quae percoqui non possit,* IX 68 (salpa piscis) *obscenus alibi et qui nusquam percoqui possit,* XII 97 *probatur recens maxime et quae sit odoris longissimi.. quaeque plurima minimum ponderis faciat,* XIX

Vratislaviensis Friderico Haasio per quinque lustra doctori anno 1863 congratulata est; cuius libelli cum pauca exemplaria typis expressa sint, breviter numeris positis hoc loco repetam exempla 33, quae ibi collegi. proficiscitur disputatio ab II 149, ubi cum R² *narretur* scribendum proposui; sequuntur deinceps particularum ordine disposita haec: 1) *et* VII 14. 101. IX 12. X 190. XI 67. 91. XIV 125. XV 84. XVII 57. 175. XIX 111. 189. XXI 90. 107. XXXIII 68 (67). XXIV 142. XXVII 120. XXVIII 133. X 120; 2) *que* XXIII 79; 3) *nec* praef. 13. XI 9; 4) *sed* XXXIV 92. XXXV 71. X 125. XII 12. XXV 8. II 160. XXXV 67. XVIII 5. XXXVII 92. X 5. praeterea subiunxi exempla ex Livio et Ovidio, quibus adde Ovidii metam. I 76. 77. VII 657, Suetonii Vesp. 4. 5. Tit. 3. rationem explicavit atque e Cicerone quoque locum attulit Meiringius gramm. Lat. edit. mai. (Bonnae a. 1857) § 701 not. 1, locos Livianos composuit Weissenbornius ad X 23, 9, Heraeus Tacitinos ad hist. I 10.

20 *arborem surdis ictibus et qui non exaudiantur caedi*, ib. 26 *herba et haec* (est), *sponte nascens et quae non queat seri*, ib. 58 *facilia concoqui nec oneratura sensum cibo et quae minime accenderent desiderium*, XXI 43 *saliunca folio quidem subbrevi et quod necti non possit*, XXII 27 (Thraces) *panem facientes praedulcem et qui contrahat ventrem*, XXIII 30 *ad omnia infirmius album, iucundius passi mustum et quod minorem capitis dolorem adferat*, XXIV 2 *quin et annosas iam et quae sternantur arbores difficilius caedi tradunt*, XXVII 81 *galeopsis .. caulem et folia habet urticae leviora et quae gravem odorem trita reddant*, ubi haud scio an *sed* inserendum sit ante *leviora*. in his locis 14 *et* particula conectit enuntiatum relativum cum adiectivo; in uno positum est *nec:* XVIII 85 *tritici semine avidius nullum est nec quod plus alimenti trahat*, itemque dictum est per particulam *aut* ib. 54 *sed nullam ponderosius frumentum est aut quod coquendo magis crescat*. praeterea *sed* exstat bis: XXII 88 (soncos) *caule cubitali, anguloso, intus cavo, sed qui fractus copioso lacte manet*, XIV 74 *nec Timoliti per se gratia ut vino, sed cuius dulci admixto reliquorum duritia suavitatem accipiat;* nam alieni generis videtur esse XVIII 323 *neque est facilior observatio . . sed quod intellegere vel rustici possint* e. q. s. particulae *tamen* habeo exempla quattuor haec: XXIII 132 *suci plus, qui tamen sitim stimulet*, XXIV 151 *aris . . similis aro, maior tantum minoribusque foliis et utique radice, quae tamen olivae grandis magnitudinem inpleat*, XXVIII 260 *frivolo quidem ioco, cui tamen aliqua debeat subesse causa in tanta persuasione*, XXXV 60 *Aglaophon* (et pictores alii), *omnes iam inlustres, non tamen in quibus haerere expositio debeat festinans ad lumina artis*. ex hac exemplorum copia consequitur, ut XXIV 142 praeter necessitatem Detlefsenus coniecerit *ut*, cum omni offensione careat particula *et* in his: *aros radicem .. habet multoque maiorem et qua manus inpleatur*, cumque coniunctivi certa sit ratio ususque constans, ferri non poterit vulgata lectio *separantur*, quam revocarunt Ianus et Detlefsenus pro *spernantur*, quod ex D² Silligius ediderat XIX 111 (alium) *tenuissimis et quae spernantur in universum velatur membranis*, sed quoniam separandi notio ob

sententiam necessaria est, corrigendum erit *separentur.*[16]) nec minus repugnat legitimae rationi id quod Detlefsenus codicem rescriptum Nonantulanum (N) secutus edidit XXV 45 *invenit et Teucer eadem aetate Teucrion, quam quidam hemioneon vocant, spargentem iuncos tenues, folia parva, asperis locis austero sapore, numquam florentem nec quae semen gignit. medetur lienibus* cet., nam unius eiusdemque substantivi attributis compluribus novum adiungitur hoc enuntiato, pro quo multo commodius erat participio structuram continuare. priores ediderant cum ceteris libris *neque semen gignit,* ac profecto aut redeundum

[16]) Quamvis codicum memoriam, ubicumque fieri possit, fideliter servandam esse statuam, non debemus tamen, credo, usque eo tenaces esse scripturae librariorum, ut corrigere vereamur in re aperta et non ratione modo ipsa commendata, sed usu quoque constanti confirmata, praesertim ubi de verborum terminationibus agitur, in quibus saepissime peccatum esse 'transcribentium forte varia' post alios ego Plinianis exemplis probavi luc. p. 107 sq. quare non is sum qui reprehendam Detlefsenum, quod cum Felsio l. l. p. 18 contra omnes libros indicativum mutavit in coniunctivum XV 67 *sunt qui malint,* cum continuo subsequantur verba simillima *sunt qui . . iubeant,* munita ea quidem et codice d et ceterorum vestigiis apertis. quamquam monendum videtur ne quis diremptam putet neu absolutam quaestionem hanc grammaticam locis iis quos Felsius indicavit: etenim ut ne coniunctivi quidem exempla omnia exhausit, ita indicativi multo plura exstant quam unum ab illo significatum. nam ut expromam quae Felsio plura in schedis meis adnotaveram priusquam eius libellum cognovi, coniunctivus in huius modi enuntiatis relativis positus usus est creberrimi, ut VI 16. 20. 177. VII 4. 206. VIII 62 (63). XI 192. 205. XVI 34. 51. 204. XVII 73. XVIII 299. XXII 23. XXIII 109. XXV 27. 169. XXVII 9. XXXV 41. XXXVII 22. in his nonnulla quidem sunt, in quibus variant codicum scripturae. indicativi autem Felsius unum affert exemplum XXXII 50, ego iam antehac novem haec adnotata habebam neque omnia ausim a me collecta affirmare: VI 37 *non desunt qui . . tradunt,* ib. 120 *sunt qui tradunt,* ib. 202 *sunt qui . . putant* (ita quidem Silligius Ianusque, Detlefsenus tacite correxit), XVII 176 *sunt qui vetant* idemque etiam ib. 207 (a Detlefseno tamen ex D nunc correctum), XXV 160 *sunt qui . . vocant,* ib. 158 *nec non inveniuntur qui vocant,* VI 55 *sunt qui . . dixere,* XXII 26 *sunt et qui . . tradiderunt.* notandum autem est excepto primo cetera exempla omnia in iis libris inveniri, in quibus antiquissimorum codicum subsidia nos deficiunt. de XXXII 50 Felsius dicit 'diversam esse rationem cum ibi *quae* ad certum quod praecesserit subiectum referatur', ac simi-

erit ad hanc lectionem aut coniunctivus substituendus, nisi verborum *florentem* et *gignit* hanc efficere volumus convenientiam, ut scribamus aut *floret* aut *gignentem*. quorum alterum quidem quo errore vitiatum sit, eo fortasse explicatur, quod, cum scriptum esset *floretnec*, librarii continuabant participium, alterum hac scriptura archetypi *gignētmmedetur*. mihi potius est retinere lectionem vulgatam, quamvis inconcinna structura. offensionem habent etiam haec quae sunt de remediis: XXIV 4 *haec sola naturae placuerat esse remedia parata vulgo, inventu facilia ac sine inpendio et* q u i b u s *vivimus*. in codice a legitur

---

liter sane se habet VII 75 *fuere .. quorum corpora eius miraculi gratia .. adservabantur*, cum duo homines mox nominatim commemorentur, itemque alieni est generis XXX 46 *praeterea sunt quae aceratoe vocantur*. at enim sola hac ratione nihil proficimus, quippe certa subiecta necesse est a Plinio intellegantur etiam iis locis, in quibus coniunctivum adhibet, ut VII 4 *itaque multi exstitere qui non nasci optimum censerent*, et XXV 27 *inveni qui diceret* procul dubio certum quendam auctorem cogitavit, cuius nomen duntaxat reticet. quidnam in hac re statuerit modorum discriminis, mihi adhuc inexploratum; fortasse poetarum morem imitatus est (v. Madvigium gramm. Lat. § 365 not. 1). sic Tacitus quoque dial. de orat. 31 *sunt apud quos adstrictum .. dicendi genus plus fidei meretur*. — Simul hac occasione data de coniunctivo ex particula quae est *priusquam* suspenso pauca adiciam. hanc particulam a Plinio ubique cum coniunctivo iungi Silligius adnotavit ad XXXIV 38, duobus locis exceptis, quae hac ipsa de causa suspicionem moverent. Felsius p. 71 c o n i u n c t i v i novem posuit exempla, quibus addo VII 6. 191. VIII 172. IX 167. X 194. XI 271. XII 26. XIII 85. XIV 37. XVII 207. 248. XVIII 149. XXXVII 149 suntque haud dubie nonnulla alia. i n d i c a t i v i unum tantum exemplum invenit IV 93 *priusquam digredimur*, quod corrigi iure voluit, nam in hac locutione semper Plinius coniunctivo usus est; sed neque Iano neque Detlefseno persuasit. alterum exemplum a Silligio ipso — mirum quam ob causam — non indicatum Felsius non repperit: est VI 124 *priusquam distrahitur ad rigua*. nunc Detlefsenus effecit tertium VII 6 *quam multa fieri non posse priusquam* s u n t *facta iudicantur*, haud incommode ad sensum, sed dubito num recte fecerit. ego retinebo in editione mea coniunctivum, quem R et Robertus habent. etiam *antequam* apud Plinium adsciscere solet coniunctivum, certe indicativi exempla non plura mihi praesto sunt quam haec duo II 157. XIX 59. — Patet igitur ex his Felsium non omnes locos collegisse. sed si iudicandum est fueritne aliquid Pliniani usus necne, alia ratio est affirmantium, alia negantium.

facile sine dispendio e quibus, cui si plus fidei habendum esset, conicere mallem *inventa facile ac sine inpendio et e quibus vivimus;* nunc verba inmutata relinquenda ratus sic interpretor: inventu facilia ac sine inpendio et (in iis rebus) quibus vivimus (invenienda), ut non accensenda sint ei generi enuntiatorum, de quo agimus. primo aspectu fallaci verborum similitudine ludere nos facile possunt ea exempla, in quibus adiectivum et pronomen relativum ad commune nomen pertinent, sed suum cuique nomen separatim cogitatione addi postulant, ut XXXI 36 *ante omnia damnantur* (aquae) *amarae et* (eae) *quae sorbentem statim inplent* et XVII 238 *pleraeque tamen* (arbores) *non omnibus* (radicibus), *sed maximis aut* (iis) *quae sunt inter illas vitales abscisis moriuntur,* ubi de indicativo non dubitandum. interdum talia difficilia sunt diiudicatu, ut XVII 48, quem locum recentiores omnes alii aliter conformaverunt. apud Detlefsenum forma est haec: *omnis autem marga arato inicienda est. ut medicamentum rapiatur, et fimum desiderat quantulumcumque, primo plus aspera et quae in herbas non effunditur.* in his *fimum* temere correctum est in D², ceteri libri habent *fimi.* omnes autem *quantulumquae,* pro quo vulgo *aliquantulum quae,* a Iano *aliquantulum quaeque* scriptum est. Urlichsius vind. Plin. II n. 309 id probans insuper etiam *anno* inseruit, ut esset *et fimi desiderat aliquantulum anno quaeque primo, plus aspera* rel. quidquid pro vero habemus, hoc mihi videtur constare sententiam sic explicandam esse: *plus* (fimi desiderat) *aspera et* (ea) *quae in herbas non effunditur,* ut duo genera margae distinguantur, quod etiam Dalecampius intellexit coniciens *quae primo plus iusto aspera est et quae.. non effunditur.* obscura est etiam haec sententia: VIII 191 (lana) *Histriae Liburniaeque pilo proprior quam lanae, pexis aliena vestibus et quam Salacia scutulato textu commendat in Lusitania.* ambigi potest pertineantne verba *pexis aliena vestibus* ad lanam Histriae Libur-

affirmantibus nobis sufficit aliquot apposuisse exempla certa, negantibus vero omnia contrarii usus per omnes libros accuratissime observanda et in numeros consectanda sunt. quae quidem observatio ardui est operis, in tanta praesertim amplitudine naturalis historiae, sed necessaria, si verum facere iudicium volumus.

niaeque (id quod Silligius videtur voluisse et Strackius versione sua indicavit) an ad lanam Salaciae an ad utramque. ego Salaciae lanam crediderim pexis alienam vestibus, sed commendabilem scutulato textu dici et ob id opponi lanae Histriae Liburniaeque, quae sententia magis perspicua fiet, si scripserimus *est quam* rel. dubitari possit an requiratur coniunctivus XIV 1 *externae arbores indocilesque nasci alibi quam ubi coepere et quae in alienas non commeant terras,* nam facile tibi persuaseris non tria arborum genera, sed unum describi et enuntiatum relativum locum obtinere adiectivi eiusdem significationis atque *indocilis.* sed discerni videntur plura genera arborum. denique affero locum huic dicendi generi non absimilem X 42 (de avibus uncos ungues habentibus agitur) *vescuntur et glande in hoc genere pomisque multae, sed quae carne tantum non vivunt, excepto miluo, quod ipsum in auguriis dirum est.* in his sententiam omnino non constare ne pluribus evincam, legentes reicio ad ea quae interpretes translationibus expresserunt contraria ac secum pugnantia.[17]) Dalecampius frustra coniecit *sed reliquae* pro *sed quae,* nam nihil proficit et male inter se opponuntur *multae* et *reliquae.* Silligius cum Harduino contulit Aristot. h. a. VIII 3 init., nullo videlicet emendationis commodo, nam ex alio loco Plinius hausit quae refert: VIII 3 p. 593 B, 24 sq. πολλοὶ δὲ καὶ παμφάγοι τῶν ὀρνίθων εἰσίν. οἱ δὲ γαμψώνυχοι καὶ τῶν ἄλλων ἅπτονται ζῴων, ὅσων ἂν κρατῶσι, καὶ τῶν ὀρνέων· . . ἔστι δὲ τῶν ὀρνίθων γένος πᾶν μὲν ὀλιγόποτον, οἱ δὲ γαμψώνυχες καὶ ἄποτοι πάμπαν, εἰ μή τι ὀλίγον γένος καὶ ὀλιγάκις. μάλιστα δὲ τοιοῦτον ἡ κεγχρίς. καὶ ἰκτῖνος

[17]) Kuelbius scripsit: Viele Vögel dieses Geschlechtes fressen auch Eicheln und Obst, jedoch nur die, welche nicht allein von Fleisch leben (!), mit Ausnahme der Weihe, was ebenfalls wieder bei den Vogeldeutungen unheilbringend ist. longe aliter, sed non melius Strackius: jedoch bleiben die nur Fleisch fressenden dann nicht am Leben! denique Littraeus Francogallus, cuius versionem quotiescumque inspexi, eleganter, sed licenter factam inveni: Plusieurs oiseaux du genre à ongles crochus, du moins ceux qui ne sont pas exclusivement carnivores, mangent des glands et des fruits; il faut cependant excepter le milan, ou quand il en mange c'est un funeste augure.

ὀλιγάκις μέν, ὤπται δὲ πίνων. quam ob rem facillima mutatione restituitur *sed quae carne tantum* (vescuntur), *non bibunt, excepto miluo* cet., quo facto conspirat cum Aristotele suo Plinius, quem quidem mirum profecto esset nullo loco commemorare huius generis aves non bibere. ellipseos qua suppressum est verbum iam semel positum exempla non desiderabunt qui Plinii consuetudinem norunt (ceterum cfr. luc. p. 98), librariorum autem error credibilior fiet his exemplis: X 200 *vivere* (a¹F¹Rd) pro *bibere*, XXX 49 *vivi* (aV²) pro *bibi* et vicissim XXVIII 4 *bibentibus* (ΘV¹RdT) pro *viventibus*, XXIV 4 *bibimus* (d) pro *vivimus*.

Sed redeo ad Dioscoridem, cuius opera etiam XIV 100, ubi agitur de vino ficticio, quod adynamon vocatur, ducimur ad veri vestigia, quae in M perspicua exstant, invenienda. atque ille quidem V 13 compositionis praecepta refert tria, quorum primum Plinius omittit, reliqua duo ita comparata sunt, ut ea ante oculos habuisse putandus sit. apponam verba, ut a Detlefseno edita sunt:

albi musti sextarii XX aquae dimidium fervet donec excoquatur aquae mensura.	δεῖ δὲ ἴσον μέτρον ὕδατος τῷ τοῦ γλεύκους μίξαντας ἑψῆσαι πραέως πυρὶ μαλακῷ, ἄχρις ἂν ἐξαναλωθῇ τὸ ὕδωρ. καὶ μετὰ τοῦτο ψύξαντας καταγγίζειν εἰς ἀγγεῖον πεπισσωμένον.

pleniora esse Dioscoridis verba apparet; itaque Ianus Plinii orationem mutilatam esse ratus post *dimidium* inserenda proposuit ex XXV 90 *additum decoquitur leniter cinere* mutavitque *fervent*, quod M habet, in *ferventi*. sed Plinius praeceptum illud in brevius contraxisse videtur, nec quicquam Iani ratione proficitur, quoniam residet repugnantia, qua alter musti et aquae inpares, alter pares mensuras misceri iubet. itaque recte fecit Detlefsenus, quod lacunae signum delevit, sed cur praeter *sextarii* mutaverit etiam *fervent* non intellego, nam verbum plurale legitime iungitur cum subiectis duobus quae sunt *sextarii* et *dimidium*, ut eadem structura prodeat, quae est in proximis: *alii marinae sextarios decem, tantundem pluviae in sole quadraginta diebus torrent,* quae apud Diosc. l. l. sic leguntur: ἔνιοι δὲ θαλάττης πελαγίας καὶ ὕδατος ὀμβρίου καὶ μέλιτος καὶ γλεύ-

κους ἴϲα μίξαντεϲ καὶ καταγγίϲαντεϲ ἡλιάζουϲιν ἐπὶ ἡμέραϲ μ'. etiam haec a Plinio circumcisa et amputata sunt, sed ita ut nihil magnopere desideres, nisi in *ex*, quod M pro *in* praebet, latere putes reliquias vocis quae periit; nam Plinius et *sole* et *in sole* in hac re promiscue dicere consuevit, et difficile est depravationis originem ita explicare, ut simul scripturae diversitas plana fiat. fortasse *in* de coniectura a librario aliquo positum, *ex* autem e litteris *es* perperam geminatis ortum est.

His igitur locis adsensu Dioscoridis firmatur codicis rescripti lectio, contra XIV 107 vini aromatitae faciendi praecepta duo referens Plinius etsi ceteris rebus manifesto consentit cum eodem V 64, dissentit tamen voce *bitumine*, quam uno excepto libro a, in quo *aspalatho* scriptum esse fertur, ceteri omnes cum M communem habent. quo consensu moti editores *aspalatho* in textum receperunt, quamquam iam Salmasius exerc. Plin. p. 500 a A locum mutandum non esse recte monuit; explicat enim Plinii ipsius errorem coniectura perquam probabili, cui eo magis adsentior, quod mihi quoque, cum primum lectiones varias cognovi, statim in mentem venit: Plinium confudisse aspalathum et asphaltum, quod apud Graecos quoque fuisse dicit qui ἀϲφάλαθον scriberent. certe *aspalathum* nonnumquam falso scriptum esse *asphalatum* exemplo codicis M XV 30 videre licet. eadem hac falsa scriptura nixus Felsius quidem p. 53 *bitumine* pro glossemate habet, quo postea vera lectio sua sede expulsa sit; quam sententiam statim amplecterer, si ceterorum codicum plures quam unus cum M discreparent et de hoc uno a nobis magis constaret. nunc vero mihi incidit suspicio, in a *aspalatho* fortasse non priore manu scriptum, sed correctum esse ab homine docto in loco sollerter raso, nam inter lectiones correctas huius libri haud paucae inveniuntur, quas non ex archetypo petitas, sed coniectura ortas esse dixeris; Iani autem attentum oculum hoc fugisse non incredibile est, cum Broterianae editionis, in qua legitur *aspalatho*, exemplo in libris manu scriptis excutiendis utenti nulla ei in hac voce scripturae discrepantia enotanda esset.

Transeuntes ad XV 6 subtilem illam attingimus controversiam grammaticam quae est de particula *an* in utroque

membro bipartitae interrogationis disiunctivae adhibita. est enim hic locus inter eos quos Handius Tursellini vol. I p. 309 tamquam documenta huius usus e Columella, Celso, Curtio, Seneca rhetore protulit. de Columellae quidem loco I 1, 3 iudicare adhuc vix licet, exspectanda potius erunt meliora Henrici Keilii subsidia; apud Celsum III 6 in recentioribus editionibus et Ritteri et Darembergii exstinctum est vitiosum illud *an*, quod prius membrum occupaverat, nec dici potest unde olim in textum irrepserit; apud Senecam suas. 7, 3 et Bursianus et Kiesslingius nunc habent *ita dubium, utrum satius sit, cum illis iacere an cum his vivere*, nulla omnino lectionis varietate adnotata; Curtii denique exemplorum alterum VI 27, 28 non contrariorum disiunctionem continet, sed duas interrogationes per anaphoram ascendentes, in solo altero VIII 23, 25, Muetzellio quidem si credere licet, *an* indubitatae fidei est, sed et Zumptius et Hedickius cum optimis codicibus deleverunt. verum omissis his scriptoribus subsistamus in Plinio, apud quem XV 6 in editionibus sic legitur de optima olivae decerpendae aetate: *cetero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat an ramis, rigua fuerit arbor an suo tantum baca suco nihilque aliud quam rores caeli biberit.* in his statim vexamur turpi orationis inconcinnitate, qua, cum duo sint paria interrogationum eodem modo ἐκ παραλλήλου apta ex verbo *distat*, alterius tamen forma recedit a similitudine alterius. praeterea probe animadvertendum est prius illud *an* vehementer labefactari auctoritate codicis rescripti M, in quo est *distat u maturitas*, ut facile sit cum Moneo conicere *utrum.* sed subsidii aliquid particulae suspectae accedere videtur eo quod editores ex codice B receperunt XXXV 59 *in qua* (tabula Polygnoti) *dubitatur an ascendentem cum clupeo pinxerit an descendentem*, cum in ceteris libris rectius desit prioris membri particula. sic duo quidem exstant huius usus controversi exempla, sed teneamus oportet, parum ea librorum auctoritate firmari, quandoquidem codex B, tametsi ex antiquissimis est, communem omnium sortem expertus est, ut vitiis variis inquinaretur. quam ob rem rationem ultimam repetamus ex observatione usus Pliniani. atque in summa quidem interrogationum dis-

iunctivarum exempla (exceptis illis duobus) repperi 35, quae per classes disposita ita se habent. quattuor in locis plenior forma adhibita est in utroque membro particulis positis *utrumne . . an* X 211 et *-ne . . an* X 52. XI 52. 186. bis alterum membrum habet *ne* particulam encliticam XI 82 *sit necne* et VIII 48 *verum falsumne sit.* ceteris vero locis interrogationum membra simplici particula *an* conectuntur: praef. § 8. II 6. 71. 116. VII 1. 146. 150. VIII 87. XI 5. XII 93. XV 98. XVI 2[18]). XVIII 308. XIX 34[19]). XXIII 31. XXVIII 20. XXX 3. XXXIII 128. 129. XXXIV 5. 43. 142. XXXV 133. XXXVI 28. 50. 107. 118. XXXVII 144. haec exempla omnia sunt interrogationum obliquarum, quae pendent aut a dictione aliqua dubitationem significante aut a verbis *interest* vel *refert,* exceptis duabus his non obliquis: XV 75 *quid primum in eo miremur, curam ingeni an occasionem fortuitam, celeritatemque cursus an vehementiam viri?* XXXVI 118 *quid enim miretur quisque in hoc primum, inventorem an inventum, artificem an auctorem, ausum aliquem hoc excogitare an suscipere an iubere?* in quibus simul elucet concinnitas illa oratoria, quam supra XV 6 merito desideravimus, eademque conspicua est etiam XXXIII 129, ubi quattuor interrogationum paria procedunt forma undique aequabili: *plurimumque refert concava sint et*

[18]) Notabilis est huius loci structura verborum *effusus in inmensum agitur oceanus, operiens alternam rerum naturae controversiam dubiamque terrae sit an partem maris,* quam Detlefsenus recte restituit e codicibus, nam apte videtur sic explicari: 'eamque rerum naturae partem, quae dubia est terrae sit an maris.'

[19]) Iustae dubitationi obnoxia est inaudita verborum conformatio, quam Detlefsenus ex codice T, quem alioquin pro nihilo facit, recepit: *crescant* (tubera) *anne vitium id terrae — neque enim aliut intellegi potest — ea protinus globetur magnitudine qua futurum est, et vivant anne, non facile arbitror intellegi posse.* pro *anne* cd habent *ac ne,* a *ac.* huius particularum *anne* usus exemplum novi nullum, cumque codicis Toletani exigua sit auctoritas, hanc autem lectionem ex praecedente *anne* a librario temere fictam esse longe sit veri simillimum, ex ceterorum librorum vestigiis eruere maluerim *necne,* quod convenit stilo Pliniano, nam quod Silligius et Ianus ex codicibus Gelenii receperunt *vivant an non, haut facile* rel., de interpolatione mihi suspectum est, quamquam Plinius *haut facile* in eius modi locutionibus dicere amat.

poculi modo an parmae Threcidicae, media depressa an elata, transversa an obliqua, supina an inferna. haec igitur exemplorum computatio satis planum facit, quid stilo Pliniano, quid librariorum culpae tribuendum sit, nec dubito equidem et XV 6 delere illud *u*, quippe quod in M e vicina littera *m* facile nasci potuerit — in ceteris autem libris recentioribus *an* interpolatione fictum censendum est —, et XXXV 59 fidem abrogare codici B, in quo *an* ex dittographia primae syllabae vocis *ascendentem* originem duxisse videtur.

Hic locus qui est de olivis admonet me eiusdem libri § 20, ubi Cato fertur iubere Liciniam olivam in frigido et macro solo seri: *pingui enim aut ferventi vitiari eius oleum arboremque ipsa fertilitate consumi.* haec M, editores ex ceteris libris *arboremque ipsam.* ex Catone quidem ipso 6, 2 nihil potest repeti quod momenti aliquid afferat, nam nihil dicit nisi *et ferundo arbor peribit.* sed hoc loco non ea est et olei et arboris oppositio, ut pronomine opus sit ad arboris notionem vel maxime efferendam; quae quidem oppositio satis exprimitur chiastico quem vocant verborum ordine; immo vero pingue et fervens solum eligentium perversitatem planius acutiusque non poterat Plinius denotare quam ita ut eam ipsam rem, quam illi utilissimam sibi opinentur quamque dedita opera consectentur, fertilitatem arboris, iis damnosam esse diceret. de re ipsa cfr. etiam XVII 223, de dictione XIX 138.

De ranis ululantibus dicitur XI 173: *tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrant labore propulsi.* sic Silligius e codicibus Harduini, ut adnotavit, recte scribere sibi visus est, ceterique eum secuti sunt. ego apud Harduinum, quamquam a prioribus discedens *propulsi* edidit, nihil omnino dé lectionis varietate inveni; Ma autem cum *perpulsi* habeant nec valde dissimiles sint ceterorum scripturae, non abiciendum videtur quod in libris exstat, nam oculorum flagrantia commode explicatur vehementi motu, quo propter corporis contentionem cientur et agitantur.

Eiusdem libri § 242 etiam nunc vulgatum est: *inesse pabulis salem, etiam ubi non videtur, ita maxime intellegitur,*

omni in salem caseo senescente. in Md est *detur*, in R *videtur maior* interpolatione manifesta, in ceteris *videtur*, si concludere licet e Detlefseni silentio. verissimum est *detur*, nam pabulis admisceri salem nisi ex ipso Plinio sciremus, qui XXXI 88 tradit: *quin et pecudes armentaque et iumenta sale maxime sollicitantur ad pastus, multum largiore lacte multoque gratiore etiam in caseo dote*, discere possemus e Palladii Rutilii XII 13, 3: *salis tamen crebra conspersio vel pascuis mista vel canalibus frequenter oblata debet pecoris levare fastidium.*

Cum XV 16 codex rescriptus exhibeat *sine arcessita commendatione*, eius auctoritate moveor ut velim etiam XIII 3, ubi optimorum librorum subsidio caremus, pro *accersita* restitui *et arcessita commendatione*, nam Plinium in tali locutione nullo sententiae discrimine hunc in modum variasse parum credibile, praesertim cum ceteris quoque locis, in quibus idem verbum reperitur, ea forma posita sit, cui M adest testis locuples: XVIII 21 *arcessentibus* et XXIX 18 *arcessitur*, cum ante Silligium male *accersitur* vulgatum esset; restat XIX 110, ubi paulo alia est verbi significatio: *Melam .. reum ex procuratione a Tiberio principe accersitum*, quamquam etiam hic apud compilatorem, qui vocatur Pseudoappuleius, 278 scriptum est *arcersitum*, quod pari probabilitate in utramque partem interpretari licet. ceterum de hac scripturae diversitate cfr. quae Fleckeisenus disputavit annal. LX (a. 1850) p. 256.

XIII 95 *Ancorarius mons vocatur Mauretaniae qui laudatissimam dedit citrum, iam exhaustus.* in M est *laudatissimum*, multo accommodatius ad verbum *dedit*, nam lignum arboris intellegitur, ut XVI 233: *sic citrum pretiosius fieri.*

XIV 86 *decuma parte aquae addita quae musti expressa sit.* sic olim vulgo edebatur, recentiores e coniectura Urlichsii (vind. Plin. I nr. 238), qui codice M nondum invento rectissime vidit *quam* necessarium esse, *quam* ante pronomen relativum inseruerunt. sed non spernendum quod M servavit *quam musti*, quo ceterorum librorum mendum simul apte et tollitur et explicatur, positumque est eodem usu, quo Sallustius Iug. 63, 5 dixit: *semperque* (Marius) *in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore quam* (ea erat quam) *gerebat, dignus haberetur*, ubi cfr. inter-

pretes, et addere licet Cic. ad Att. II 21, 1. VIII 1, 1. I 16, 11. ab ipso Plinio similiter dictum est XII 112 *in totum alia natura quam* (ea est quam) *nostri externique prodiderant.*

XV 16 *fiunt et praecoces* (olivae) *ferventi aqua perfusae* restituendum est ex M *praecoques*, adiectivum legitimum et indubitati apud Columellam usus: III 1, 7 *vites .. praecoques, quarum maturitas frugum praecurrit hiemem*, III 2, 1 (vites) *maxime praecoques et duracinae*, ib. 2, 18 *praecoquis fructus*, V 10, 10 (ficos) *praecoques ponito.*

His alia eius generis nonnulla possum continuare, minuta quidem et exigui momenti, sed tamen non omittenda, vel etiam locos indicare, quorum emendationis ratio facile per se eluceat, ut XIII 45 ex M et (quod Silligius non enotavit) R scribatur necesse est: *tertium ex his genus patetae* (sunt). *nimio liquore abundant* rel., sed chartae parcendum est nec diutius in his remorandum.

III

Transeuntibus iam ad recentiorum codicum selectas quasdam lectiones aut ab iniusto contemptu liberandas aut e textu removendas, ne rem ipsam protinus adgrediamur, officit nobis controversia, quam silentio praeteriri et relinqui vetat viri auctoritas eius, cuius industria et sagacitate factum est ut posset de ea certioribus quam antea argumentis disputari. nam inter antiquissimorum librorum fragmenta, quorum firmis praesidiis in exigua tantum parte operis Pliniani uti licet, et recentiores codices DRFa medium quendam locum tenent correctiones illae ab altera manu in hos multis locis illatae, quarum maximam partem eruditorum hominum notitiae primus tradidit Detlefsenus, qui codicem Parisiensem a partim a Iano et Duebnero antea conlatum itemque Vaticanum D et alios nonnullos plenius excussit et Leidensem F post diuturnam oblivionem e latebris protraxit reddiditque usui critico, postquam eundem esse perspexit atque Chiffletianum illud exemplar, quod diu credebatur plane interiisse. in his igitur cor-

rectiones quae significantur a^2 et F^2 tam saepe eaedem sunt aut inter se similes, ut negari omnino non queat archetypum aliquem a correctoribus adhibitum multisque locis exscriptum esse. sed multo latius hunc fontem manavisse statuit Detlefsenus, qui, quoniam a^2 et F^2 interdum congruunt paulumve dissentiunt cum D^2 et R^2, hos autem codices omnes in Galliae regione septentrionali exaratos esse aliis argumentis ipse perquam probabile fecit, ad eundem archetypum hos quattuor codices correctos esse sibi persuasit (v. philol. tom. XXVIII p. 307). quare non mirum quod has correctiones in ordinem quem constituit vetustiorum codicum adscivit iisque principatum quendam in locis dubiis adrogavit. quae quidem sententia viri doctissimi ex omni parte nec redargui adhuc nec confirmari potest nisi ab eo ipso, quia pauci sunt libri, in quibus simul et correcti sunt codices cuncti et correctiones in publicum editae, velut in libro VII, ubi lectiones a^2 F^2 R^2 passim enotatae sunt, corrector D^2 non ultra § 44 progressus est, in libro XI autem, ubi potissimum redintegratur eius correctoris D^2 diligentia et crescit magis magisque correctionum copia, in Parisiensi a desiit altera manus cum eadem atque antea assiduitate corrigendo operam dare, et ex Leidensi F, qui in libris omnibus saepissime emendatricem manum expertus est, scripturae discrepantia in Detlefseni editione non amplius margini adscripta est, quia tum cum volumen alterum parabat nondum totum contulerat. interim quae mihi de origine deque auctoritate harum correctionum recte statui videantur si proposuero, nixus iis quae adhuc nobis innotuerunt, non vereor ne in levitatis crimen aut pravae in errando pertinaciae incurram.

1

Itaque quae ex libris VII—XV quam fieri poterat accuratissime in Detlefseni editione perlustratis de correctorum locorum frequentia ac multitudine et de mutua eorum inter se similitudine cognosci possunt, ea in tabularum formam redacta ita proponam, ut priore numero significetur quot locis singuli codices omnino correcti sint ab altera manu, altero

quot quisque locis solus sui similis sit nec cum ceterorum ullo conveniat. qua in re neglexi ac pro communibus accepi, ut par est, variantium correctionum eas, quarum tam levis et exigua est differentia, ut ad eandem eas archetypi scripturam redire apertum sit.

Correcti igitur sunt ab altera manu codices

	a^2	F^2	R^2	D^2
VII	99 : 27	130 : 51	47 : 18	22 : 11
VIII	187 : 59	252 : 112	45 : 33	—
IX	98 : 71	53 : 31	48 : 32	2
X	133 : 56	183 : 97	71 : 38	—
XI	33 : 26	8 : 3	95 : 82	49 : 24
XII	27	—	—	95 : 58
XIII	6 : 4	—	—	72 : 43
XIV	3 : 2	—	—	65 : 46
XV	7 : 5	—	—	102 : 77

Codex R inde a XIII 88 deficit, in ea autem parte, quae ab XI 216 pertinet ad XIII 88, singulae lectiones correctae numerari non possunt, quia totus transcriptus est ex eodem exemplari, ad quod superiores partes emendatae erant, ut his locis R idem sit quod R^2.

Codicum omnium correctiones R^2 D^2 F^2 a^2 nusquam inveni inter se convenientes; raro etiam terni, saepius vero bini inter se consentiunt. huius igitur consensionis haec est ratio:

	VII	VIII	IX	X
F^2 a^2 R^2	11	3	4	12
F^2 a^2 D^2	—	—	1	—
F^2 R^2 D^2	1	—	—	—
a^2 R^2 D^2	1	—	—	—

	VII	VIII	IX	X	XI
F^2 a^2	40	111	14	49	—
F^2 R^2	8	6	3	13	3
a^2 R^2	7	3	9	8	2
F^2 D^2	3	—	—	—	—

	VII	XI	XII	XIII	XIV
R^2 D^2	1	13	20	8	—
a^2 D^2	3	—	1	1	1

Praeterea nonnumquam aliorum codicum altera manus confir-

matur aliorum codicum manu priore, cuius consensionis ratio occasione data infra partim indicabitur.

Iam ex his numeris quid concludendum est? primum elucet multitudinem locorum correctorum longe maximam esse in F, aequalem fere numerum in a et D, paulo minorem in R; in unoquoque codice correctionum duas fere partes fluxisse ex aliquo archetypo, quia aliorum codicum aut alterius aut prioris manus adsensu confirmantur, de tertiae autem partis multis ambigi posse; denique cum inter omnes saepissime a^2 et F^2 inter se consentiant, hos artissimo propinquitatis vinculo contineri.

Ex hoc frequentissimo eorum consensu de origine a^2 et F^2 facile conieceris, alteram manum ab altera pendere, sed huic opinioni obstant in primis lacunae ampliores in solo F^2 VII 55 et 204, in solo a^2 VII 123 et X 189 (ubi partim congruit R^2) expletae, ex quibus necessario consequitur, ut librarium utrumque archetypi alicuius subsidio in corrigendo usum esse cogitandum sit. utriusque autem archetypum unumne fuisse eundemque credamus an non? Detlefsenus eundem fuisse ait, mihi binos fuisse non incredibile videtur. ex illis quidem lacunis de hac re nihil certo concludi poterit, quoniam tribuendum aliquid est librariorum in molesto officio neglegentiae, qua fieri facile poterat, ut lacunam animadverteret alter, quae alterum eadem verba cursim legentem praeterierat. sed magis perspicuum est et gravius, quod VIII 200, ubi in communi omnium codicum archetypo propter similitudinem vocabulorum *utiliter* et *ultra* verba interiecta *generant et in senecta nec* omissa erant, F^2 haec verba omnia recte addidit, a^2 eadem addens tamen omisit particulam *nec*, quam animo ad lacunam explendam attento, si invenisset in archetypo suo, certe addidisset, quia inde pendet sententiae veritas (cfr. Colum. VII 6, 3). idemque declarant loci alii, in quibus correctionum ea est diversitas, ut non sola librariorum sive neglegentia sive licentia satis explicari, sed ex ipsorum archetyporum diversitate orta esse videatur. quorum brevem propono conspectum hunc, in quo iis lectionibus, quae etiam in R leguntur, hoc signum uncinis inclusum adscripsi:

		Plinius	a¹ + a²	F¹ + F²
VIII	30	cum extenti recepere examina	exirenti extenti	exirenti exire
	144	(Nicomedis) uxore .. Consingi	cosingu cosingi	eosingu confingi
	149	contemptu inmobili iacente (cane)	contempnenti contemptim	contempti contemptu
	161	eodem pervenisse a Veis cum palma et corona	aseis habens	aseis ab eis (R^2)
	162	(equae) quinquennio finem crescendi capiunt	caput capiunt (R^2)	caput capit
	169	eaedem (asinae) horrent pedes omnino tinguere	caedem ea item	caedem eaedem (R)
	190	alibi Italica (lana appellatur)	alibim albi	alìbe albe
	194	togam regiam undulatam	ungulatum undulatam	ungulatum ungulatam (R)
	193	gausapae	gausaprae causepae	causapae gausapac
IX	94	pandique concharum (?) sinus	buccarum concarum	baccarum buccarum
	162	nonnulli ter (anno pariunt)	mulli molli	mulli non mulli
	170	|XL| HS (e piscina ea ...)	XL. in sae XL. pinsae	hii se ipsi (ipse R^2)
	184	remoto lumine alio fulgere claro	fugere fulgere	fugere fulgore
X	7	consentit et Boethus	boethuius boethuus (boetius R)	boethuius poeta huius
	19	(vultures) triduo autem ante advolare eos (tridivo R^1, -vū R^2)	tria autem antea volare tria autem ante duo volare	tria autem ante advolare tria autem ante avolare
	56	(anseres) in aviariis saporem perdunt	viariis aviariis	viariis vivariis
	125	quantum poturo (R^2) sufficeret	potero poto	potero potui
	141	patina HS Č taxata	in ista ea ia taxata	in ista ea ia contexa tua
	184	(sues fetus) numerosos edunt	numerosos (R) in humerosos	numeros numerosos
	196	in quo vel praecipua naturae artificis vis[20])	arcitae //// his architectiq; Ex his	accitae et hio is artae ethiois

---

[20]) Hoc, vel etiam *ars inenarrabilis*, restituendum puto, quia quam fieri potest proxime mihi videtur ad genuinam lectionem accedere, quae in codicum varia scriptura latet. nam quae antehac vulgabatur Harduini

	Plinius	$a^1 + a^2$	$F^1 + F^2$
201	in potu autem quibus serrati dentes lambunt	pontum potum	potum pontum
II 22	ut sors ipsa pro deo sit	(*deest in* a^1) sors ipsa	prosę ipsa prope ipsa sola
51	materia quae iaciat (umbram)	iactat iactat quae	iactat iactam
59	discedentes partibus numquam amplius undenis	descente descendente (R^1)	discente discedentes (discedunt R^2)

Haec documenta, quae ex magno numero speciminis causa elegi, pleraque omnia eius modi sunt, ut non possimus non statuere aut correctorum indiligentiam et temerariam scripturae tralaticiae interpretationem latissime vagatam esse et finibus vix inclusam aut illos ex binis hausisse archetypis diversis, quamvis eiusdem originis multisque locis inter se perquam similibus. sed quoniam in ipso usu critico hoc non magni momenti est, facile concesserim Detlefseno, creberrimam inter a^2 et F^2 similitudinem repeti posse ex consortione unius eiusdemque codicis nobis ignoti, quem perspicuitatis causa littera X^1 designare placet.

Iam vero huic codici X^1 quae est ratio cum archetypo illo ex quo fluxerunt correctiones R^2? nec tam frequentes nec tam manifesti sunt loci, in quibus $R^2F^2a^2$ aut R^2F^2 aut R^2a^2 inter se congruunt, ut cum probabilitate aliqua eundem fuisse contendatur; immo vero alium fuisse eum apparet e lectionibus haud paucis, quae archetyporum diversitatem probare videntur, ut

---

coniecturam *architectae vis*, cum neque a sententia neque a Pliniana elocutione satis haberet commendationis, Detlefsenus iure damnavit; quod autem ipse reposuit *artificia* longius recedit ab iis litteris, quae omnibus codicibus communes sunt, quam ut pro vero habeam, nam cum legatur in R^2 *architectio his*, in d *arcite et fibis*, in T *arcite et vivis*, extremae litterae *cis his bis vis* non videntur plane delenda esse. meae vero coniecturae commendationi sunt XXII 17, ubi natura praedicatur *parens illa ac divina rerum artifex*, II 166 *quod ita formasse artifex natura credi debet*, II 3 *naturae omnium artifici*, XXXI 1 *opifice natura*, XXIV 85 *non aliter evidentiore illa naturae vi*, XVII 72 *haec est naturae vis*, *haec potentia*.

	a^1+a^2	R^1+R^2	F^1+F^2
VII 45	mortemque adnoxia „ adnoxio	ostesqua adnoxio mortesque acnoxio	mortesque adnoxi
121	curante	excurrant exquirenti [22])	excussa *(in ras.)*
189	stat elenimentorum	sta delenimentorum ista deliramentorum	sta delenimentorum ista „
VIII 47	deficit detecti	deficit defici	efficit defecti
56	mentum mentor	mentu mentum	mentum
X 1	praemia	praemia praecipua	praemia *(delevit)*
4	cassia	cossa casia	cassia cassiae
„	pacatum pancaiam	pacatam *(in ras.)*	pacaiam panchaiam
24	praeduntur prenduntur	praeduntur praedantur	prenduntur
32	agrescunt aegrescunt	egrescunt nigrescunt	aegrescunt
35	plurimum	plurim plurium	plurim plurimum
118	curu cura	curu curam	corru cura
„	hilare si hilarare si	hilaris hilares	hilari si hilarari si
124	contextu	contexa contextum	contextu contexta (D)
158	turtur	turtur turtures	turtur turturi

idemque etiam magis elucet ex lacunis his VII 123, ubi a^2 ex X^1 supplevit *grammatica Apollodorus cui Amphictyones Graeciae honorem habuere,* R^2 autem tantum *grammatica Apollodorus* in margine addidit, omisso enuntiato relativo, quod sine

---

[22]) Sic legitur in Iani collatione, non *quirenti*, ut Silligius falso enotavit. hoc autem loco manifesta sunt haec duo: primum neque F^2 in suo archetypo invenisse *exquirenti* neque R^2 *excussa*, deinde alterutrum de coniectura positum esse. editores omnes receperunt *excussa*, quod commendatur Valerii Max. V 7, 4, sed *exquirente* neque quicquam habet offensionis neque minus commendatur Solini 1, 124 *exquisita saepius a ianitoribus*, cumque nec repugnet Pliniano dicendi usui (XXXIII 1 *tellurem intus exquirente cura*) et peccati origo hac correctione aptissime explicetur, non video quo iure *exquirente* spernendum esse putemus.

dubio non omisisset, si eodem archetypo X^1 usus esset; X 189, ubi a^2 inseruit *aestas aut ver statumque*, R^2 ultima tantum verba *ver statumque* adscripsit; VIII 169, ubi a^2F^2 correxerunt *tota varia*, R^2 *varia*. ergo necessario ducimur ad alterum codicem nobis ignotum (X^2), ex quo R^2 originem traxit.

Difficilius est iudicium facere de propagine et cognatione archetypi eius ad quem codex D correctus est, et quia corrector, ut mox exponemus, liberrime sua sponte mutavit quae mutanda esse opinabatur, et quia codex F nondum totus criticorum usui a Detlefseno patefactus est. atque illud quidem exemplar, ex quo prior manus ipsum codicem D transcripsit, simillimum fuisse archetypo codicis a, ex quinquaginta illis locis satis elucet, quos infra proponemus; sed in his de uno et communi codice cogitari vetat VII 203, ubi nomen *Amphiaraus*, quod in D iam prior manus recte posuit in textu continuo, in RFa a correctoribus demum additum est ex X^1 et X^2. neque tamen alteram manum correctiones hausisse ex eodem exemplari, quo prior usa erat, demonstrant communes cum ceteris codicibus in D^1 lacunae (maxime libri XV), quae in D^2 postea recte expletae sunt. itaque statuendum est, ad D^1 et ad D^2 binos archetypos adhibitos esse. horum autem is, quem altera manus in corrigendo comparavit (X^3), consentit quidem, ut ex numeris in tabula p. 56 prolatis perspicuum est, haud raro cum R^2, interdum etiam cum a^2, sed separandum eum esse ab horum archetypis X^1 et X^2 haec habeo documenta: XIII 27 (*nulla* [palma] *est in I t a l i a sponte genita nec in a l i a parte terrarum nisi in calida)* librarius archetypi eius, ex quo fluxerunt D^1 et a^1, ab *Italia* ad similes litteras *in alia* oculis aberrans omiserat verba interiecta, quae cum M recte servata erant in solo X^3, nam R^2 in X^2 nihil aliud invenit nisi mutilata haec et interpolata *sponte et ratio*. praeterea XIII 11 unus X^3 pleniorem formam *sesamio* servaverat (R^2D^1 *samio*) ibidemque praebuit verba in ceteris omissa *melius cinnamo* et XII 89 *in planis;* contra XII 18, ubi R^2 recte *Graeciaeque*, M *Graeciae quae*, sed aD^1 *que* habent, etiam X^3 *(quae)* omiserat nomen *Graeciae*. deinde manifesto argumento sunt differentiae in nominibus propriis scribendis, quae non sine archetyporum

subsidio correcta esse credi oportet, ut XII 28 *zimpiberi* D^1a^1, *zimziberi* D^2, *zimpiperi* a^2, *zingiberi* R^2; 30 *indico loco* D^1R^2 (pro *Indica loto*), *indicato* D^2a; 54 *minei* D^2, *minmei* D^1, *minime* a, *minent* R^2; 114 *epentheristion* M, *entheristeum* D^1, *aentheristum* D^2, *henthesiscum* R^2, *entheristrum* a; 127 *psophide* M, *prophide* R^2, *ipso fide* D^1, *ipso fine* D^2a. his adde XIII 53 *eius* MR^2, *est* a^1, *anno est* D^1, *anno eius* a^2D^2; XII 28 *XVI* R^2, *III* D^1, *VI* D^2, *ut* a; 25 *moro* D^2, *mollo* D^1, *molli* a, *odore* R^2; 37 *illas ali* MD^2, *illa soli* D^1a, *milla salus* R^2; 35 *frietur* MR^2, *frictur* D^1, *fricatur* D^2a; 48 *montuoso* D^2, *mutuoso* D, *mmtuoso* a, *metuoso* R^2; 70 *et avescentes* D^1, *et tabescentis* D^2, *et tavescentis* a^1, *et tavescente* a^2; 74 *hoc tibi* D^1a^1, *hoc ibi* a^2, sed recte *hoc et ibi* MD^2; XI 220 *fimbrias* MR^2D^1, *fibras* D^2a^2; 224 *tanto minore* MD^2 [23]), *tanto in ore* D^1a, *felis tantum in ore* R^2, et paulo infra 225 *non profluere* M, *non prefluere* R^2, /// *transfuere* D^1, *non transfuere* D^2, *transfugere* a; 244 *ternos articulos* MD^2, *articulos* D^1, *ternos oculos* R^2, *aperticulos* a; 266 *et eminum* D^1, *et seminum* D^2, *esse minimum* a, *et fuminum* R^2. sed non opus erit conti-

---

[23]) Hic locus varie attrectatus mihi videtur nondum probabili ratione sanatus esse. Detlefsenus, qui recte *felis* (R) pro vitioso additamento habuit, partim D^1 et a secutus, partim e coniectura sic edidit: *sicut* (mirum opus naturae est) *in homine vim eius* (sanguinis) *ad minima momenta mutari, non modo toto in ore materia suffusa, verum ad singulos animi habitus, pudore, ira, metu* cet. huic coniecturae obicio, toti ori contrarias esse singulas partes oris, sed non apte opponi singulos animi habitus. mihi totum hunc locum et proxima verba contuenti maxime probatur hic sententiarum ordo et conexus: in homine sanguinis vis ad minima momenta mutatur nec solum ea, quae in corporis motu, sed etiam quae in animi habitu sita sunt. nam cum humanae cutis aliqua pars vel extremo digito levissime premitur, statim refugit ex hac parte sanguis et, quia minor est materia sanguinis cuti suffusi, color mutatur et pallor exsistit aliquantisper, deinde rubor; talis vero coloris mutatio evenit non modo ad motum aliquem corporis, ut ad ictum, repercussum, tactum, verum etiam ad singulos animi habitus. itaque retineo codicis M scripturam excepta una voce *tanto*, pro qua *tactu* leni medela substituo ita: *non modo tactu minore materia suffusi*, quae verba quid significent satis enarratum est. *n* et *c* litteras inter se confusas esse docet M XI 254, ubi *intus* habet pro *ictus* et *sicc* pro *sine*, et XIV 140 *caeco* pro *caeno*.

nuare hanc exemplorum seriem, quippe quae satis demonstrent, D^2 proprium sibi postulare archetypum X^3, probe illum distinguendum a X^1 et X^2. hi tres autem codices incogniti quoniam alioquin haud dubiam prae se ferunt similitudinem, nihil aliud restat quam ut communi omnes propinquitatis vinculo coniunctos esse et postremo gradu ad eundem fontem (X^4) redire suspicemur.

Quae cum ita sint, non unus, ut Detlefsenus vult, sed quattuor archetypi ex obscuritate in lucem prodeunt. atque haec quidem de origine et propinquitate correctionum quae in DRFa inveniuntur disputasse satis sit.

2

Sequitur quaestio altera separatim tractanda, quae est de illarum fide atque auctoritate. neque enim sufficit investigasse lectionum correctionumve ex vetusto et bono exemplari originem, sed praeterea necesse est aestimari et expendi quonam modo auctores earum se gesserint in scribendo vel corrigendo, qua diligentia usi sint quaque fide et constantia. nam quid refert scribam habuisse archetypum antiquissimum et incorruptum, si ipse corruperit, si ab eo recedere, ubi placebat, si litteras, syllabas, verba coniectura temere mutare non dubitaverit? nonne gravissime infringitur correctionum auctoritas, quamvis ex bono exemplari derivatarum, si correctorem munere suo non dicam neglegenter — nam id facilius fuerit toleratu — sed summa levitate functum esse convinci possit? quam ob rem de unoquoque quattuor illorum correctorum videndum est, quanti aestimemus eorum diligentiam et fidem. primum igitur aggrediamur ad correctorem Vaticani

D^2,

cui praecipuam Detlefsenus auctoritatem haud inmerito tribuit, nam eius archetypum X^3 vetustum et bonum fuisse declarant in primis lacunae 16 (partim cum M aut R^2) apte expletae et lectiones 70, quibus conspirat cum codice antiquissimo M aliaeque scripturae tum verae tum falsae, sed hae sensu adeo destitutae, ut hanc ipsam ob causam temera-

riae mutationis suspicio removeatur. item in ceteris quoque libris D² aut solus aut una cum recentiorum codicum aliquo (ut a et d) haud paucis locis est is cui genuinam lectionem acceptam referamus, atque confirmatae sunt eius auctoritate etiam coniecturae nonnullae, ut Iani XIV 16 (*villis* pro *ullis*) et aliquatenus mea, qua XV 2 numerum pretii deesse significavi.[24]) haec igitur omnia concedo proboque, sed idem dico negari non posse hoc: si vel paucis locis commenticia lectio deprehendatur et licenter ficta, vehementer labefactari omnem alterius manus fidem; si vel paucis locis sibi non constet, tolli etiam iudicii nostri de ea constantiam nec minore quam in ceteris codicibus opus esse cautione. atqui sunt in hoc genere non pauca, sed permulta exempla, quorum praeter ea quae supra ad XI 222 et XII 92 indicavi, illustria aliquot eaque interdum ridicula afferam: XI 239 *(coagulum hinnulei, leporis, haedi laudatum)* D¹ scripserat *inutilei*, unde D², qua erat ingenii sollertia, effecit *inutile*, quod eleganter responderet contrario *laudatum;* ib. 250 *(in ipsa genuus commissura.. quae-*

[24]) Ceterum non infitior inprobabilem mihi videri scripturam codicis D² nec coniecturae suspicione vacare. primum enim iustam offensionem habet, quod non *binae* positum est pro *duae,* deinde autem pretiorum differentia duobus annis insequentibus tam ingens est, ut credi vix possit. nam cum anno u. c. 504 (= 250 a. Chr. n.) propter singularem ubertatem olei librae denae constarent singulis assibus (cfr. XVIII 17), cogitatione fingi non potest statim anno proximo u. c. 505 (= 249 a. Chr. n.) binas libras veniisse denis assibus: ita enim hoc pretium tantopere multiplicatum esset, ut prius illud quinquagesima eius pars esset. quod quidem eo minus credibile, cum singularem superioris anni affluentiam non uno anno plane consumptam esse, sed haud exiguam copiam postero quoque anno superfuisse veri simile sit, qua necesse erat inminui pretium. quapropter etiam nunc mihi videtur multo magis naturae rerum convenire, quod proposui luc. p. 132: *olei librae duodenae denis assibus veniere,* quo pretiorum differentia exsistit ea, ut alterum alterius sit pars duodecima. praeterea pronum est suspicari in communi archetypo omisso *denis* fuisse *duo denae:* id recte legerunt a d *duodenae,* c ex eo fecit *duae denae*, D *due dene;* iam cum corrector recte animadvertisset deesse numerale quod pretium indicaret, incuriosus numeralis distributivi ex *denae* effecit *denis*, facili coniectura, quia quae invenerat duo esse numeralia, non unum, opinabatur.

dam buccarum inanitas inest, qua perfossa ceu iugulo spiritus fluit) mendum *iungulo,* quod una littera deleta facile poterat tolli, etiam mendosius fecerunt D² *ungulas* et D³ *ungula* scribendo, scilicet ut reponerent aliquid, quod intellectum quemcumque habere videretur; et simillime levem unius litterulae errorem, ut sensum exprimeret, gravissimum reddidit et plane deformavit XII 15 *(malus Assyria.. venenis medetur),* ubi pro falso quem putabat genetivo *veneris* bonus grammaticus reposuit dativum *veneri,* fallaci specie obscurans veri vestigia; XIII 53 *(materiae* [cedri] *aeternitas.. itaque et simulacra deorum ex ea factitaverunt)* pro *facti ita verunt* D² scripsit *facti duraverunt,* in quo id unum mirere, quod non *facta* simul correxit; XIII 139 *(lauru maxime et oliva ferentibus bacas et, cum pluat, fungos)* pro *conpluat,* quod a vero proxime aberat, D² *complures;* XIV 58 *(cicuta homini venenum est, cicutae vinum)* pro *sicuta* D² *sicuti* et pro *cicutae* idem *ita et,* in iis vero quae mox sequuntur *(si obtemperavisset)* pro *si obtemperavit et* D², ut structuram emendaret, *sic obtemperabit ut,* quae interpolatio transiit etiam in G; 90 *(hoc tum nomen vino erat)* pro *nomenu inuerat* D² *roma monuerat;* 101 *(proximum* [vinum] *fit e milii semine.. libram quadrantem in congios duos musti macerato)* pro *macerator* D² *maceratos,* iungendum illud cum *congios;* 144 *(saevo alias et)* pro *saevo alia sed* D² *saevola sed.* nec aliter XI 270 *(vox devoratur.. in rudi parietum circumiectu doliis etiam inanibus)* pro *in nuri* haud ita stulte D² coniecit *muri,* atque etiam genuinam et incorruptam scripturam temere depravavit XI 273 *(attingam tamen quae tantus vir* [Aristoteles] *in doctrinis non sprevit),* ubi corrector perspicuitatis studio abreptus maluit *quia.* atque haec quidem sufficiant, quamquam alia id genus complura in promptu sunt.

Iam in his omnibus cum manifesto appareant et coniecturae origo et conicientis mens, correctionum illarum auctorem semidoctum aliquem hominem fuisse statuo, qui ad textum emendandum non sine diligentia adhiberet archetypum, sed emendationes coniectura repertas hic illic adspergere non dubitaret. aut fortasse non unus fuit, qui emendando operam daret, sed plures hunc laborem suscepisse putandi sunt ita ut

ipsius codicis librarius, cum archetypum relegeret et compararet, calami lapsus statim ipse tolleret, postea alter coniciendo textum emendaret, litterarum formas scite imitatus.[25]) cuius industriae quos tandem terminos constituemus? nam si nonnullis locis, quos nunc primo adspectu deprehendimus, non verebatur sua commenta pro genuinis ac veris venditare, quidni etiam aliis id fecisse statuamus, in quibus coniectura minus sinistra fraudem reddidit minus perspicuam? nihil nobis relinquetur aliud quam ut desistamus in universum D^2 praestantiorem emendationis ducem sequi et in singulis locis veri iudicii momenta repetamus ex argumenti natura et ex orationis forma et, ubicumque fieri poterit, ex fontium veterum memoria. quod si quis rationis eclecticae odioso nomine notare volet, per me licebit; in hac scilicet codicum condicione omnis ratio critica quodam modo eclectica est.

Neque vero id Detlefsenum fugit in ipso emendandi negotio, cum et illis locis et aliis haud paucis codicem D^2 deseruerit; sed etiam ubi scriptura eius ferri posse videatur, quanta cautio adhibenda sit discimus exemplis XI 222 (*ac* D^2) et XII 92 supra allatis, in quibus Aristotelem et Diosco-

[25]) Cum lectiones variantes codicis D, quas Silligiana editio praebet, paucae sint nec plene videantur enotatae esse, inter collationes autem a Sillígio mortuo relictas, quae nunc in bibliotheca regia Dresdensi adservantur, non invenerim huius codicis collationem a Iano confectam, nescio quid certo concludendum sit ex his verbis, quae Silligius tradit litteris uncialibus in margine adnotata esse ad XV 119, ubi pro *purgatos* D habet *pugnatos: p u r g a t o s legerem et inferius ut habebat prius p u r g a r e.* quibuscum convenienter cum Detlefsenus enotaverit: *pugnatos* D^1, *purgatos* D^2, et paulo infra *purgare* D^1, *pugnare* D^2, concedendum ei erit, correctiones hoc loco non ab una eademque manu, sed a duabus manibus diversis profectas esse; atque qui falso correxit *pugnare* pro *purgare,* videtur ipse totius codicis librarius esse, qui litteras, quas in archetypo invenisse sibi videbatur, simpliciter transcripsit cumque crederet priore loco recte *pugnandi* verbum positum esse, id etiam altero loco contra archetypi fidem ipse reposuit: *purgatos* autem pro *pugnatos* correxit postea homo doctus, qui legendo sensit repugnantiam verborum et de coniectura se emendasse ipse lectori adnotatione sua significavit. haec planissime conveniunt iis quae supra disputavimus.

ridem habuimus adiutores. haud aliter Theophrasti auctoritate XIII 110 corrector D[2] levitatis coarguitur. editum est a Iano secundum MdT et a (qui *s* littera bis scripta *sed crudum* habet): *radicem lotos habet ... interius candidum corpus, gratum cibis et* (h. e. etiam) *crudum, gratius decoctum sive aqua sive pruna*, quae planissime congruunt cum Theophr. h. pl. IV 8 11: τὸ δὲ ἐντὸς λευκόν, ... ἐσθίεται δὲ καὶ ὠμή, ἀρίστη δὲ ἐν τῷ ὕδατι ἑφθὴ καὶ ὀπτή. in D legebatur *ed crudum* levi errore, sed bonus ille corrector, ut orationis elegantiae consuleret, de ingenio mutavit *gratum cibis crudum, sed gratius* cet., quod Detlefsenus recipere non debebat.

Levius est exemplum, sed non minus manifestum XI 254, ubi Ianus ex MRa recte ediderat, spernens vulgatam lectionem, quam postea codice D[2] confisus Detlefsenus redintegravit: *camelo tali similes bubulis sed minores paulo. est enim bisulcum discrimine exiguo, pes in vestigio carnosus* cet., nam aperte, quamvis neglegenter, exscriptus est Aristoteles, qui h. a. II 1 p. 499 A, 22 sq. de camelo refert: καὶ ἀστράγαλον ὅμοιον μὲν βοΐ, ἰσχνὸν δὲ καὶ μικρὸν ὡς κατὰ τὸ μέγεθος. ἔστι δὲ δίχαλον καὶ οὐκ ἄμφωδον, διχαλὸν δὲ ὧδε· ἐκ μὲν τοῦ ὄπισθεν μικρὸν ἔσχισται .. ὁ δὲ πούς ἐστι κάτωθεν σαρκώδης cet. et similiter Plinius paulo infra § 255 dixit *unicorne asinus Indicus. unicorne et bisulcum oryx.* etiam in D recte erat *bisulcum*, corrector autem suapte fretus sagacitate praepropere mutavit *bisulcus*, quod ad *pes* inepte voluit referri.

Quare cum correctoris licentia saepius genuinam lectionem adulteratam esse videamus, meam ego adsensionem cohibeo XIV 149, ubi contra M ceterorumque librorum testimonia ex solo D[2] recepit *parare* in verbis his: *at Hercules illic tellus fruges parere videbatur*, quibus Plinius vituperat quod nulla in parte mundi cesset ebrietas et in Aegypto etiam e frugibus potus inebriantes conficiantur. huic sententiae cur *pariendi* notio apta non sit, sed necessario postuletur *parandi* verbum, plane ignoro, nec opus est exemplis illustrare, quam saepe tellus vel terra vel natura rerum parere sive gignere aut etiam effeta esse dicatur. item reliquos libros sequi maluerim VII 16 et 27, ubi corrector codicis D praeter necessitatem —

nam haec dicendi brevitas non inusitata est Plinio (cfr. VII 12. 13. 24. 28. 30. 31. 51. VIII 36. Grasbergerus de usu Plin. p. 17 sqq.) — ad auctorum nomina *tradunt* et *tradit* adiecit, repetens haec verba ex iis quae proxime antecedunt. altero loco quod conspirat cum Roberti defloratione Pliniana, altero cum d^2, id non est tanti momenti, ut assentiri cogamur, neque adducor ut non pro coniectura habeam quod cum eodem d^2 praebet VII 1 *nequeat* in sententia vulgo sic expressa: *animantium in eodem* (mundo) *natura nullius prope partis contemplatione minor est, si quidem omnia exsequi humanus animus queat.* codicum lectiones quamvis varient, hanc tamen inter se similitudinem habent, ut cognoscatur in communi archetypo scriptum fuisse *minore etsi quidem .. quead.* haec in aliis alio modo correcta sunt: ad verum proxime accedunt *minor et si* (a^2R^2) et *queat* (a^2F^2), ut singulis tantum litteris utrobique peccatum fuerit; minus probabile videtur *est* ab F^2D^2 insertum, non mutato *etsi,* quod quidem in causa fuit, cur D^2 sententiae claudicanti ita optime sibi videretur succurrere, ut *nequeat*[26]) scriberet. contra atque ceteri editores probavit hoc Detlefsenus, simul traiectione necessaria usus verborum *omnia quidem,* quod cur ad sententiarum conexum accommodatius esset frustra exquisivi. saepe enim Plinius perstringit vanitatem hominum omnia sciri posse opinantium, sollertiam humanam omnia maximeque inutilia et vana exquirentem, furorem naturae extera scrutandi, tamquam interna eius cuncta plane iam nota sint (II 4), nec quicquam homine dignius censet quam naturae opera in mundo conspicua aestimare et admirari nec contemnere hanc sordidissimam eius partem (praef. 13, coll. XIV 7), quam ipse in naturali historia diligenti studio tractavit. itaque cum dicat animantium naturam contemplatione non minus dignam esse quam reliquas mundi partes omnes, aptissime restringit hanc sententiam iusta dubitatione quae continetur his verbis: 'si quidem — id quod incertum est — omnia quae ad mundum pertinent humanus

[26]) Ad confirmandam coniecturae temerariae suspicionem facit etiam haec forma quae est *nequeat,* de qua v. infra ad VIII 105.

animus 'exsequi queat'. eo magis igitur animantium natura, quae sensibus percipi et mente pervestigari et cognosci possit, digna est quam diligenter accurateque contemplemur.

Dubitari potest etiam de copula *est* XV 84 et de praepositione *e* ante *myrto* XIII 10 praeter necessitatem insertis nec minus de *melius cinnamo*, quae verba ceteri libri omittunt, D² praecepto susini faciendi ita addit, ut duo praecepta tradi alterumque altero melius dici appareat: XIII 11 *constat ex liliis, balanino, calamo, melius cinnamo, croco, murra.* apud veteres editores unum est praeceptum, cum eodem loco posuerint *melle, cinnamomo*, nixi haud dubie codice aliquo; aliter enim vehementer mirum esset, quod inserentes ea verba eundem locum ac D² fortuito elegerunt. ac mihi quidem *melle* ut magis probetur facit Dioscorides, qui I 62 tria de susino tradit praecepta: primo componuntur calamus, murra, cardamomum, lilium, mel, altero crocus, cinnamomum, murra, mel, tertio, quod simplicissimum dicit, balaninum aliudve oleum et lilium. ex his aperta sunt haec duo: primum mel ab iis rebus abesse non posse, quas Plinius extremas enumerat; deinde si duo praecepta traderet, altero contineri necesse esse balaninum et lilium, altero reliquas materias. tum autem *melius* non aptum esset, nam Dioscorides optimum dicit id quod lilia redoleat: ἄριστον δέ ἐστιν αὐτοῦ τὸ ὄζον κρίνων. ob has causas mihi persuasum est unum legi apud Plinium praeceptum et recipienda quidem esse verba a D² inserta, sed simul ita mutanda, ut cum Dioscoride *melle* substituamus.[27])

Contra XII 121 et 122, ubi balsami sinceri et vitiati differentiae accuratius indicantur, ipse Detlefsenus reiecit D² et totum locum cum prioribus sic edidit, ut in R potissimum scriptus est. ac recte hoc sine dubio fecit in his: *vitiatur et oleo rosae, cypri .. nequissime autem cummi, quoniam arescit in manu inversa et in aqua sidit, quae probatio eius gemina est.*

---

[27]) Antea de his verbis correctoris aliter statuerat Detlefsenus; in mus. Rhen. XV p. 386 dixit nihil aliud significari nisi pro *calamo* melius reponendum esse *cinnamo*. mihi quod supra disputavi veri similius videtur quam quod ille vel olim scripsit vel nuper edidit.

debet sincerum inarescere, sed hoc cummi addita fragile crusta crevit, quamquam nondum ab omni parte ad rectam rationem revocata est sententiarum consociatio. nam balsamum cummi addita vitiatum cur in manu potissimum arescere dicatur idque in manu inversa, quis est qui intellegat? quare olim *inhaerescit* vulgatum erat, factum illud ex *inarescit* (D^1) et *marcescit* (a), sed supersedere possumus tali mutatione, nam haec est aperta et sibi constans Plinii sententia: cum balsamum tarde arescat et liquidum sit, gemina sinceri est probatio, ut a manu inversa defluat et in aqua diffundatur vel diluatur[28]); cummis et ipsa arescit, sed celerrime, maioremque habet et adhaerendi et cohaerendi vim, ut aiunt physici: itaque balsamum cummi vitiatum facile eo deprehenditur, quod sidit in manu inversa et in aqua atque, ubi aruit, fragilem habet crustam. manifesta igitur est emendatio e recta verborum distinctione petenda: . . *nequissime autem cummi. quoniam arescit, in manu inversa et in aqua sidit* cet., ac praeterea cum Silligio et Iano *fragili* ex R recipiendum est et contra libros *arescere* scribendum (nam ut aut simplex verbum aut compositum utrobique legatur, efflagitat necessaria hoc loco orationis concinnitas et suadent

[28]) Hoc convenit cum Dioscoride I 18 ἔcτι δὲ ὀπὸc καλὸc . . εὐδίετοc i. e. dilutu facilis, idemque paulo infra dicit ἔτι ὁ ἀκέραιοc ἐπιχυθεὶc γάλακτι ἢ ὕδατι χεῖται ταχέωc καὶ γαλακτοῦται· ὁ δὲ δεδολωμένοc ἐπιπλεῖ καθάπερ ἔλαιον, cυcτρεφόμενοc καὶ διαχεόμενοc ἀcτεροειδῶc· τῷ μέντοι χρόνῳ καὶ ὁ ἀκέραιοc παχυνόμενοc ἑαυτοῦ χείρων γίνεται, quamquam his Plinius aliqua ex parte adversari videtur, cum dicat: § 123 *praeterea sinceri densatur in tepida aqua gutta sidens ad ima vasa, adulterata olei modo innatat et si metopio vitiata est circulo candido cingitur.* sed haec discrepantia mira esse non debet, cum, ut supra p. 16 sq. diximus, in tota hac balsami descriptione alia congruant, alia inter se repugnent, velut eam sententiam, quam Plinius secutus est, planissime inprobat Dioscorides verbis his: πλανῶνται δὲ οἱ νομίζοντεc τοῦτον τὸν ἀκέραιον ἐπιcταγέντα ὕδατι χωρεῖν εἰc βάθοc πρῶτον, εἶτα ἀναπλεῖν εὐδιάχυτον, rursus autem Plinius, cum § 120 dicat de gustu: *esse enim debet lenis, non subacidus, odore tantum austerus,* aperte reicit ea quae Dioscorides ut vera retulit: ἔcτι δὲ ὀπὸc καλὸc ὁ πρόcφατοc, τῇ ὀcμῇ εὔτονοc καὶ εἰλικρινήc, καὶ παροξίζων, εὐδίετοc, λεῖοc, cτύφων καὶ δάκνων μετρίωc τὴν γλῶccαν, ubi — ut hoc obiter moneam — transponenda videntur verba ita: ὀπὸc καλὸc καὶ εἰλικρινὴc ὁ πρόcφατοc e. q. s.

etiam corrupta alioqui verba *addita arescere* in D[1]adT), perspicuitas vero orationis apte augetur geminatis verbi *debet* duabus litteris extremis: *debet et sincerum arescere, sed hoc cummi addita fragili crusta evenit.* deinde quae sequuntur § 122 *nam melle mutatur statim. in manu contrahit muscas,* in his ita dissentio cum Detlefseno, ut contra eum patrocinium suscipiam codicis D[2] praeter consuetudinem neglecti, nam verba, ut edita sint, intellectum non habere mihi persuasum est. statim mutare dicitur balsamum melle adulteratum. quid est *statim*? an eodem mutatur tempore quo adulteratur paulove post? et quo modo mutatur? muscas quod in manu contrahit, nulla in hoc mutatio cernitur, sed evenit propterea, quod mellis dulcedine muscae alliciuntur, id quod non fit in balsamo sincero. quare multo potius est, duo ista enuntiata perperam disiuncta una et continua sententia comprehendi, ut *statim* referatur ad *contrahit,* pro *mutatur* autem scribi, quod in D[2] idemque in a d legitur, *mutatum* (in archetypo fortasse exaratum *mutatū*) i. e. vitiatum, nisi hoc ipsum verbum litterarum forma simillimum reponendum erit. redeo igitur ad lectionem olim vulgatam, quam primus Silligius in editione maiore iniuria deseruit.

Item etiam contra M confugiamus oportet ad D[2] et ad veteres editores XIII 124 *semen ferulae thapsian quidam vocavere decepti eo, quoniam ferula sine dubio est thapsia, sed sui generis,* ubi particula *sed* a solo D[2] in textum illata necessaria est propter concessivum sententiarum nexum et acutam contrariorum significationem, nisi orationem prava brevitate ultra modum obscuratam esse volumus. quae emendatio si coniciendo reperta est, certe egregia est coniectura et ex litteris non male derivata (*tapsi /// siduis* D[1], *tapsi assiduis* a, *thapsi assidui* d), quam non est cur non adoptemus.

Sed omissis quae alia huius modi proferri possunt properandum est ad correctorem codicis Riccardiani

R[2],

de quo paucis disputare licet, cum praeter ceteros Felsius p. 53. 58 sqq. 73 in universum veram eius censuram fecerit neque editores tantum ei adiunxerint auctoritatis, ut sit cur

magnopere contradicamus. primum igitur pleniorem textum fuisse in communi omnium archetypo X^4, lacunae docent ex $R^2F^2a^2$ vel ex R^2F^2 apte expletae, ut VII 91.[29]) 122. 203, cui loco suffragatur etiam D, VIII 208. X 165. plura quidem de eo pro certo affirmari vix possunt, nam quae supra posui in quattuor libris VII—X consensionis exempla 30 pleraque omnia ea sunt, ut librarii eandem lectionem varie interpretati esse existimandi sint; perpauca plane consentiunt, ut VII 173. 174. X 49. 52. 74. 116. 152 et VII 47 *sicut* pro *sic*, quod cur Detlefsenus spreverit miror, cum alias quoque, ut VII 57. 187. X 188, hanc Plinius particulam in exemplis afferendis usurpaverit; neque coniecturam hoc loco agnoverim, quamquam a coniecturis et interpolationibus ne X^4 quidem vacuum fuisse documento sunt VII 45 *procedere*, VIII 27 *in hostes*, X 90, ubi verba *in reliquis partibus est quidem mitius pelagus siculum utique* (a^2R^2 *utrique*) *tractabile* falso addita esse Pintianus primus perspexit. etiam ex archetypo X^2 solo expletae sunt nonnullae lacunae, ut XI 174 et 159, ubi Detlefsenus recte contra Felsium p. 60 retinuit *terrestres* (cfr. Arist. de part. an. IV 11 p. 691 A, 24), idemque solus aliquot locis genuinam servavit scripturam, ut VII 147 *avunculum*, sed saepissime quid habuerit ex R^2 concludere non licet, quia corrector qui illum adhibuit haud pauca sine dubio ex ingenio suo mutavit eiusdemque licentiae atque is qui D correxit insimulandus est. atque is corrector fueritne unus ex iis qui ipsum codicem R exa-

[29]) Hoc loco Caesaris laudatur animi vigor et mira celeritas, qua fertur potuisse *epistulas* . . *quaternas pariter dictare librariis aut, si nihil aliud ageret, septenas.* ita scripserunt editores cum priore manu, quae falso exaraverat *quaternas*; correctores recte consentiunt in dativo *septenis*, qui in priore quoque numerali restituendus est. nam Caesar non dictabat singulis librariis pariter quaternas epistulas neque quaternis quaternas, sed profecto singulas singulis; hi autem erant eodem tempore quaterni vel etiam septeni. itaque epistulas singulas dictabat librariis quaternis vel etiam septenis pariter i. e. eadem dictandi perpetuitate, ut nemini eorum intercapedinem scribendi faceret. non advocandum est Solini testimonium 1, 107 *quaternas etiam epistolas perhibetur simul dictasse*, in quo propter adverbium *simul* diversa est dicendi ratio.

raverunt difficile est diiudicatu: certe hi quoque multa peccaverunt, nam liber octavus perquam neglegenter scriptus est et alibi verba stolide vitiata sunt, ut X 156 *Xpe recta* legitur pro *crista recta,* ubi agitur de rebus minime christianis, alibi perverso emendandi studio adulterata, ut X 131 (*rapina .. in os reddita*) ex *onos* (D) factum est *honor.* cuius studii etiam in R^2 multa inveniuntur manifesta testimonia; pauca depromo haec: VIII 47 (*plerique dentibus defecti reperiantur*) pro *deficit* corrector posuit *defici,* ibidemque in verbis *metu poenae similis* pro *mei* scripsit *metu eius,* quia invenerat *meius* (DF^1) suprascripto *metu* (a^2F^2); 57 ex *inedia ntum* fecit infelici conatu *inedia tantum*[30]), nec melius ib. 78 *et de basilisci serpentis,* ubi *de* delendum erat, scripsit *basiliscis;* 100 ex mendo *silu* (pro *sibi*) sine ulla mente finxit *silua,* 112 ex *emitari* (pro *semitas*) *imitari;* 175 quod recte scriptum erat *derelictus senecta* inscienter depravavit scribendo *senectus;* 206 *sues* posuit pro *suem,* quod munitur Arist. h. a. VI 18 fin. ἐὰν τὸν ἕτερον ὀφθαλμὸν ἐκκοπῇ ἡ ὗς. 209 invenerat *materia gane,* non multum differens a vero quod est *ganeae,* sed quia de epulando agi videbat, finxit *cene.* IX 13 (*se toto defendere oceano*) unius litterae discrimine prior manus a vero aberraverat scribendo *tote,* corrector ex eo fecit *tute;* 91 in verbis *suctu du trahit* abundabat syllaba *du* per dittographiam nata, ille interpolando finxit adverbium *diu.* similiter ib. 122 ex *fecerent* (pro *ferent*) inconsiderate fecit *fecerunt;* 152 (*ultroque terrendi*) scriptum erat *utroque,* ille addidit praepositionem *in.* X 12 pro *aivo,* quod debebat esse *alio,* substituit *alvo,* 24 pro *praeduntur,*

---

30) Hoc loco, in quo celebratur gratus animus leonis, cui Elpis Samius os dentibus inhaerens evellerat, omnium codicum testimonio firmatur illud *tum,* quod Detlefsenus eiecit scribendo: *os morsu avidiore inhaeserat dentibus cruciabatque inedia, poena in ipsis eius telis, suspectantem ac velut mutis precibus orantem.* at haec ratio non explanat vitii originem. nec sustulit offensionem Georges philol. XXXII p. 690 proponens *inediae tum poena.* mihi maxime probatur: *cruciabatque inedia eum — poena in ipsis eius telis — suspectantem* e. q. s. vicissim VIII 132 pro *cum quidam* restitue: *tum quidam narrant,* ubi Detlefsenus *cum* plane delevit, et XII 117 scribe: *tum et duplo rependebatur argentum.*

ex *prenduntur* depravato, *praedantur;* 66 pro *persuasae* scriptum erat *persuas* ///, ille supplevit *per sua signa;* 111 pro *volatus* invenerat *velatus,* correxit *relatus;* 123 in verbis *nec alibi maior naturae lascivia* cum non intellegeret quod scriptum erat *albi,* simplici, sed forti medela delevit tria verba *nec albi maior;* XI 52 prior manus, quae invenerat *illis tantum,* mutavit in *illi statum,* corrector in *ille statutum*; 122 ex *ita* (pro *id*) effecit *rite;* 176 pro *devolant* invenit *devolat,* quod mutavit in genus passivum; 204, ubi levissimo errore *iumento* scriptum erat in his verbis *tenui omento integuntur,* e coniectura posuit *indumento.* denique temperare mihi non possum quin semidoctum hunc correctorem Solini collectanea inspexisse et in comparationem vocasse suspicer.[31])

---

[31]) Ne cui incredibilis videatur haec suspicio, affero VIII 163, quem quidem locum qua alia ratione explicem non habeo. agitur de generatione equorum: . . *utpote cum a circo post vicesimum annum mittantur ad subolem. Opunte et ad quadraginta durasse tradunt adiutum modo in attollenda priore parte corporis.* de *Opunte* (F^1dT) dubitari nequit, cum Aristot. h. a. VI 22 p. 576 B, 25 ἐν Ὀποῦντι tradat. in archetypo autem cum hoc nomen parum distincte scriptum legeretur, librarii temere in D *ut pute,* in a *ponte* et in a^2 *ut pote* scripserunt, et qui F postea correxit, adeo non intellexit veram lectionem, ut et ipse *ut pote* poneret. in R una littera falsa *opante* scriptum erat. sed — id quod Silligius non enotavit — insequentia verba *ad quadraginta — paucis animalium* (litterae 99) omissa erant, archetypi folio haud dubie mutilato, nam etiam in superiore pagina § 161 deerant litterae 92 *maius augurium — cucurrisse.* haec autem verba § 161 omissa antea falso ad § 163 in margine adscripta, sed ab altera manu deleta sunt, quae deinde utramque lacunam recte ita explevit, ut utrique loco verba omissa in margine redderet. praeterea pro *opante* correctum est (an ab eadem manu, quae lacunas explevit?) *reparandam* cum praecedente *subolem* iungendum, ut planissima exsistat consensio cum Solino 45, 16 *utpote qui etiam post vicesimum mittuntur ad subolem reficiendam. notatum etiam advertimus Opuntem nomine equum ad gregariam venerem durasse in annos quadraginta,* ubi opponi non debet, quod Solinus ipse *Opuntem* habet, nam is ridicule hoc pro nomine equi sumpsit, ac fortasse in Solini exemplari eius qui R correxit hoc nomen vitiatum erat. praeterea cfr. VIII 41 *ingrediendo* (R^2) cum Solini 27 19 *gradientes,* et ib. 165 solus R conspirat cum Solino 45, 18 in voce *profundius,* ante quam desideramus tamen *eo.* hanc vocem Detlefsenus recepit, sed ib. 156 *cum victor ad spoliandum venisset* eiecit

Ex his cum pateat critico non sine iusta cautione accedendum esse ad has correctiones et diligentissime in uno quoque loco expendendum, habeantne certam veri commendationem, non mirum in iis locis, in quibus veri iudicium ad probabilitatem quandam referatur, alias esse aliorum sententias. itaque fieri facile potest, ut damnentur quae damnanda non erant, id quod accidisse puto XI 165, ubi pro *aculei* R^2 praebet *dentium vice aculeus insectis.* ex quo Detlefsenus coniciendo fecit *aculei sunt,* sed cum ceteris animalibus plures sint dentes, insectis aculei singuli, non video quid sit quo iure offendamur in numero singulari. neque cum eodem editore abiecerim *invecta,* quod $R^2\Theta dT$ habent XI 205 *Asiae regio Scepsis appellatur, in qua minimos* (lienes) *esse pecori tradunt, et inde ad lienem invecta remedia.* Detlefsenus *inventa,* sententiae et structurae minus accommodatum, recepit ex a, cui cur perraro fidem habeam infra explicabo; hoc quidem loco de coniectura eo magis suspectus est, quod in R^1 et D, quocum consentire solet, *inveta* scriptum est. eidem codici a interpolato nimium tribuit vir doctissimus IX 180, ubi ex *itaque* fecit *ea quae: nec de anthia pisce silere convenit ea quae plerosque adverto credidisse.* veri vestigia servata sunt in R, in quo corrector recte scriptum invenit *que* i. e. *quae,* cum autem in archetypo falso legeretur *itque,* syllaba antecedente iterata, ex eo finxit *idque,* F^2 *hiique,* a *itaque.* nec alia ratio est IX 94 *tristi id enim constat omini navigantium.* sic Detlefsenus coniecit ex *omni* (a^1). sed cum DF habeant *omne,* R^2 *omen,* verius meliusque scribi puto *triste .. omen.*

Superest ut exemplis illustremus qualis fuerit archetypus X^1, ex quo fluxisse statuimus

F^2 et a^2.

his quoniam Detlefsenus frequentissime paruit, non tam necesse est quam bonus ille fuerit demonstrari quam quibus laboraverit mendorum generibus. itaque missas facio lacunas expletas,

---

vocem *victor,* quam solus R communem habet cum Solino 45, 11 *cum adversarius victor spoliare vellet.*

ut VII 73. 74. 122. VIII 20. 21. 200, et falsae coniecturae nonnulla documenta subiciam: VII 113 ex *ambigisse* librarius fecit *abiecisse*, 192 male scripsit *assyrias*, 215 *incerto*, VIII 32 *conmoritura*, 100 *defigi*, 161 *sedemque*, 163, ubi in F[1] recte scriptum erat *opunte*, ex falsa lectione *ut pute* (D) fictum est *ut pote*; 195 *lautissimis* falso pro *laudatissimis* positum est, quia paulo ante § 183 recte eadem correctio adhibita erat; IX 65 *litoralis his*, 122 *quid*, X 8 *percipit irus*, 83 *reticens*, 84 *inusitatum* pro *invisitatum*, 165 *tanta*. in hunc numerum refero etiam id quod X[1] VIII 169 habuit *tota varia*, quo paulum mutato Detlefsenus edidit haec: *nec nisi spatiosa in cubitu laxitas tuta. varia namque visa concipiunt* (asini) *ictu pedum crebro*. sed haec coniectura non eam habet sententiam quae huic loco, in quo de mirabilibus quibusdam asinorum moribus agitur, plane conveniat: pro *tuta* requiritur potius aliquid, in quo ipsorum voluntas et studium apte intellegatur, ut *grata* vel *iuvat*. nec tam in hac voce mendum quaerendum videtur quam in *varia* quod non caret iusta dubitatione; varietas enim somniorum nihil refert, refert id unum somniare asinos, et *varia* in a[2]F[2]R[2] nihil est nisi coniectura, pro qua in ceteris a[1]F[1]Dd scriptum est *ut auari*. ex his igitur litterarum ductibus licet nobis aliud quiddam elicere, cumque F[2] exhibeat *incubitus*, hanc speciem toti loco reddendam esse censuerim: *nec nisi spatiosam cubitus laxitatem amant. namque* rel. de *namque* particula apud Plinium quoque interdum primam in enuntiato sedem occupante v. luc. p. 35 not. 20.

In eadem causa est VIII 68, ubi nixus eo quod fuit in X[1] *inter equos* (*aequos* F[2]) Detlefsenus scripsit: (camelis) *velocitas infra equos, sed sua cuique mensura sicuti vires*, contra naturam ac veritatem, a qua propius aberat Pintianus, qui voluit *Nisaeorum equorum* (ex Aristot. IX 50 p. 632 A, 30 θέουσι δὲ θᾶσσον τῶν Νισαίων ἵππων πολύ). illud *inter* coniectura perversa substitutum est pro *in*, quod ceteri omnes praebent; hoc autem commutato cum *ut* prodit sententia haec: *velocitas ut equo, sed* rel., in qua magis quidem placeret *quae equo*, sed *ut* neque falso neque inusitate dictum: XI 165 *simiae dentes ut homini*, ib. 246 *pollex quoque iis* (simiis) *et articuli ut ho-*

mini, IX 175 *capita eorum* (piscium quorundam) *esse ranae marinae similia, reliquas partes gobionum, branchias ut ceteris piscibus;* neque huc non pertinet XV 18 (oleo) *medicatio alias ut vino*, nam sic contra codices cum Barbaro scribi postulat sententiae ratio.

Coniecturae correctoris debetur etiam illud *et*, quo in X[1] copulata sunt VII 162 nomina *experimenta* et *exempla recentissimi census;* quod quamquam Detlefsenus probavit, persevero in eo quod dixi luc. p. 45 ceteris editoribus assentiens. nam quia statim sequitur *ponemus exempla*, veri simillimum est librarium quempiam idem nomen etiam antea pro *experimenta* positum esse ratum id superscripsisse, deinde autem utrumque in textum venisse errore admodum crebro, cuius e Plinio haec expromam documenta: XIII 46 *iacens dactilis* (D[2]), XV 126 *hoc voverat et o voverat* (a[1]), X 150 *omnia gemina* (F[2] R[2], *gemina* recte a[2], ceteri *omnia*), XI 85 *via vix* (R[2]), VIII 133 *lanuginem imaginem* (F[2]), XI 221 *tertie portio* (M, ubi v. Moneum). contrarium usu venit XV 1: M *hispaniaque aut* recte servavit, idem fuit in X[3] *aut* supra scripto, sed in D *que* delendum esse falso putavit corrector.

Simili modo propter luendi notionem X[1] *penas* inseruit VIII 21 .. *dirasque Pompeio quas ille mox luit poenas inprecaretur.* sed *diras* et *luit* apte iungi posse ut credam facit VII 46 (Agrippa) *luisse augurium praeposteri natalis existimatur.* recte vero X 153 *potore* additum videtur, cum etiam Aristot. VI 2 p. 559 B, 2 φιλοπότης τις dicat. saepissime X[1] *que* vel *et* aliave ita inseruit, ut dubitari possit, sed haec omnia persequi non attinet. duos locos addo, in quibus miror quod Detlefsenus correctorem inprobavit: IX 107 *origo atque genitura conchae* (margaritarum) *est haut multum ostrearum conchis differentis* scripsit pro *different* ex Harduini coniectura parum laudabili, cui longe praestat simplicissima emendatio quae fuit in X[1] *differens*, nam in hac comparatione compendiaria, quamvis audaci, iusta non est offensio, et in gallorum laudatione, quae est X 49 *hi magistratus nostros cotidie regunt domusque ipsis suas claudunt aut reserant*, non magistratuum domus, sed gallorum cum Strackio intellegendae videntur, cui sententiae magis

convenit *ipsi*, quod exstat in a^2 F^2. quamquam totus fortasse locus graviore mendo affectus est.

Satis demonstratum erit etiam archetypo X^{1r} haud raro non aliam nisi commenticiae mutationis auctoritatem esse: iam quaerendum est quanam fide ac diligentia correctores F^2 et a^2 nobis eas commendaverint lectiones, in quibus inter se non consentiunt ac ne ullius quidem codicis alterius testimonio licentiae suspicione liberantur. harum autem, ut supra indicavimus, permagna est multitudo, qua obruitur vixque apparet exiguus earum numerus, quibus consensio cum aliorum codicum priore manu nonnihil auctoritatis affert, nam in quattuor libris VII—X F^2 quinquagiens, in quinque libris VII—XI a^2 quadragiens consentit hunc in modum: F^2Da 4, F^2Ra 2, F^2D 3, F^2R 19, F^2a 22; a^2DF 3, a^2RF 2, a^2D 7, a^2R 18, a^2F 10.

Atque qui codicem F correxit, eum non sine egregia assiduitate officio suo satisfecisse testantur 626 in quattuor libris correctiones, sed more saeculi sui ab ea fide quam nos requirimus longe aberat, nam volebat sine dubio Plinium suum non modo emendatum quam maxime, sed etiam lectu iucundiorem et polito dicendi genere commendabilem reddere. erat enim homo litteris antiquis leviter imbutus, cuius doctrinae specimen edidit ad VII 110, ubi Plinius de Aeschine Demosthenis de corona orationem Rhodiis recitante illiusque actionem laudibus extollente dicit: *calamitate testis ingens factus inimici.* quorum verborum verae sententiae plane ignarus ridicule adscripsit ille in margine: *testimonium fuit huiusmodi: quodsi ipsam bestiam audiretis sua verba frementem,* quae procul dubio ex Hieronymo patre sancto (vol. I 270 A ed. Vall. *quid si ipsam audissetis bestiam sua verba resonantem?*) citavit memoriter, nam Graecae linguae vix eam scientiam tenebat, ut ipse interpretaretur Plinii minoris verba epist. II 3, 10 τί δέ, εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου ἠκούσατε; Cicero autem de or. III 56, 213, Valerius Maximus VIII 10, Quintilianus XI 3, 7 iisdem fere verbis quibus Plinius maior eam rem narrant. hac sua eruditione et Latinae linguae facultate fretus Pliniani sermonis duritiam interdum emollire, perspicuitati consulere, dicendi

brevitatem tollere studebat additis aut deletis praepositionibus vel particulis vel copula *est* et aliis huius modi emendationibus: qua in re ut saepe non iniuste egerit, tamen nonnumquam pravae coniecturae suspicionem facit opere supervacaneo, ut X 165 *hirundini cacci primo pulli* non erat cur ex *pullis* (F[1]) faceret *pulli sunt* (in a[2] recte deleta est littera *s*), eademque ratio est VIII 114 *acerrimi sunt auditus*, ubi DR *acerrimis*, reliqui *acerrimi*. nec vero tam minuta mutasse satis habuit: graviores quoque errores suo Marte corrigere non dubitavit et additamentis orationem explere. VII 73 ex *in Creta* fecit *merita incrementa*, quod quidem nemo intellexerit, ib. 212 (*prospexisset solem*) ex dittographia, ut videtur, fecit *prospexisse talem solem;* VIII 181, ubi de tauro dicitur: *stat ira gliscente alternos replicans* (sc. pedes priores), ille obiectum desiderans adiecit *orbes;* et similis licentiae alia exempla exstant multa: VII 45 *accessu* non intellegens correxit *successu*, 80 pro *parva naturae insignia* posuit *pravae*, 106 pro *unde* (Cannis) *fugisse virtutis summum opus fuit* maluit *indefessae*, 145 (*tracto in Capitolium illud*) invenerat *ille*, correxit *illo*, 166 pro *Pheraeus Iason* invenerat *phalereus iacum*, substituit mira doctrina *valerius eacus*. VIII 128 pro *inveniri* scriptum erat *umoris minimum in alvo inventri*, ex quo propter alvum fecit *in ventre*, nec minus absurdum quod correxit ib. 131 *in pedes*, cum de ursis dicatur: *ingrediuntur et bipedes*, et § 162 quia falso singularis scriptus erat: *vivunt* .. *femina* (equorum) *minore spatio*, convenientiae prospexit deinde corrigens *eadem* .. *capit* pro *eaedem* .. *capiunt* (*capud* F[1]); 190, ubi commemorantur lanae Laudiceae, invenerat *laudicae*, scripsit *laudatae*; 173 ex *nata tertii generis* fecit *natura;* 224 de gliribus narratur: *senium finitur hiberna quiete* .. *rursus aestate quiescunt, simili et nitelis quiete*, ubi cum invenisset *similis*, correxit *quies*. X 7 pro *Boethus* mendose scriptum erat *boethuius*, quid igitur poterat speciosius excogitare quam *poeta huius*? ib. 45 ignorans adiectivum *aditialis* substituit *exitiali cena;* ib. 96 ignorans vitiparras, cum invenisset *in genere vitae parvarum*, delevit vocem *vitae;* 120 *ac cibis* vitiatum erat in *ad civis*, itaque correxit *cives*. sed non opus est pluribus exemplis. at-

que haec quidem quae proposui tam manifesta omnia sunt, ut ipsa insulsitate mutationis correctorem pessimae levitatis convincant: aliis vero locis minus inepte inscienterque versatus est, ut detegere fraudem difficile sit et summopere cavendum ne decipiamur.

Hac de causa X 94 *Aegypto* illud, quod nemo non tacite supplet, sitne vere Plinianum an spurium et in F² temere additum, iure potest dubitari, neque necesse est *artem* reponi pro *artes* in his quae de cursu circensi dicuntur VIII 160 *cum puderet hominum artes ab equis vinci*, cum variae et astutae aurigarum artes intellegantur, quibus aemulos tardare et ne primatum obtineant inpedire studeant. et mirum in modum Detlefseno fraudi fuit correctoris sedulitas, qui *pro raritate* nulla mente posuit VIII 169, ubi de asinis legitur: *nec pontes transeunt per raritatem eorum tralucentibus fluviis.* ipsius enim Plinii manum quis non agnoscat in nomine abstracto *raritatem* pro concreto posito, quod est *rara tigna pontium*? nam huius rei exemplis a Grasbergero p. 68 collectis aliquanto plura, si per spatium liceret, addere possem, maximeque frequentia sunt substantiva in *-itas* exeuntia, ut VIII 30 elephanti appellantur *tanta vastitas* et homines significantur voce *mortalitatis* II 15. 22. 25. VII 131. 147. 189, similiterque *feritas* VII 5. VIII 54, saepissime *aetas* XVI 110. XVII 116. XXV 86. XXVIII 12, *antiquitas* XII 85. XXXIII 8, *vanitas* XXVIII 89, *fabulositas* XII 11, *novitates* VII 4. cfr. Grasbergerus p. 74 sq. correctorem autem, cum invenisset *per raritate*, nihil aliud patet voluisse quam turpem soloecismum tollere. eiusdem auctoritati haud scio an inmerito paruerit Detlefsenus in his verbis, quae dicta sunt de Clodio Aesopo histrione, qui aves cantu aliquo aut sermone humano vocales magno pretio coëmptas convivis edendas proposuit: X 142 *dignus prorsus filio a quo devoratas diximus margaritas, non sic tamen, ut verear facere inter duos iudicium turpitudinis, siquidem minus est summas rerum naturae opes quam hominum linguas cenasse.* ita Detlefsenus; librorum memoria haec est: *non si* [*sit* a²R, *sic* F²] *tamen* [*tamen avium* R²] *ut verum facere vi* [*facere* F², *facile* R] .. *si quod minus* rel. prona est suspicio *sic* in F² ex coniectura

ortum esse propter sequentem particulam *ut;* sed *avium*, quod inseruit R^2, unde natum est? cum sententiam turbatam etiam magis turbet, de correctoris coniectura cogitare vix licet; dittographiae ratione, qua litterae *amen* falso geminatae sint, originem non satis explicamus: itaque pro *avium ut* proponi possit *arduum*, familiarissimum Plinio vocabulum, cuius extrema littera casu servata sit in *ut*, qua ratione haud absurda exsistit sententia haec: *non sit tamen arduum, verum facere.. iudicium turpitudinis, si quidem* cet. — Etiam VIII 111 F^2 temere correxisse videtur, cum scriberet: (stelliones) *mortiferi in Graecia morsus .. esse*, nam quod R^2 habet *pestiferi* multo probabilius fit hac scripturae discrepantia: *postiferi* R^1, *positi ferunt* a, *ponti ferunt* F^1D, *pesti fertur* d. utriusque autem adiectivi aequalis fere frequentia apud Plinium est nullo significationis discrimine, et morsus potuisse dici pestiferos docent VIII 152 *rabies canum pestifera, ita morsis letali aquae metu* et IX 155, ubi araneus aculeo noxius pestiferum animal appellatur. prorsus denique a vero deductus est Detlefsenus VIII 91, ubi ex F^2 scripsit *delphini inmeantes Nilo .. abigentes eos* (crocodilos) *praedae*, quod correctum est pro *praedam*. nam quid sibi vult dativus? an est genetivus? verissimus est quem d habet ablativus *praeda*, quamquam aliis locis, ut VIII 24, Plinius praepositionem *a* cum abigendi verbo iunxit.

Antequam a correctore F^2 digrediar, duo placet tractare locos, in quibus ita se gessit, ut patrocinium eius suscipere non dubitem. varii avium per aëra volatus Plinius X 112 plura genera argute distinguit: (aliae) *expandunt alas pendentesque raro intervallo quatiunt, aliae crebrius, sed et primas dumtaxat pennas, aliae et tota latera pandunt, quaedam vero maiore ex parte compressis volant percussoque semel, aliquae et gemino ictu, aëre feruntur.* omnes aves volandi causa expandere et movere alas suapte natura coguntur, sed in ipsis his rebus cernitur diversitas volatus, cuius Plinius duo potissimum genera discernit: in posteriore alae non perpetuo nec aequabiliter, sed magnis intervallis et repentino ictu expanduntur et moventur ac maiore ex parte compressae tenentur; prioris generis hoc proprium est, ut alae expandantur perpetuo, sed moveantur variis mo-

dis, varia celeritate: aliae[32]) enim aves rarius quatiunt alas, aliae crebrius, sed harum discernuntur et eae quae primas dumtaxat pennas quatiunt et eae quae tota latera — *pandunt*? itane? minime vero. non in pandendo discrimen positum est, sed in quatiendo. primis autem pennis, quas alterae quatiunt, recte opponuntur totae alae, cumque totae alae quatiuntur vehementius, feriuntur et verberantur tota latera. itaque unice verum est quod correxit F² quodque transiit in d *plaudunt*, ut X 46 galli nuntiare dicuntur *cantum plausu laterum*. paululum a vero aberraverunt F¹ R scribentes quod in archetypo invenisse sibi videbantur *plandunt;* summa levitate, ut solebat, rem omnem turbavit librarius codicis a, qui temere substituit *pandunt*.

Alter locus est VIII 105, ubi Detlefsenus contra ac priores iniuria ex Ra edidit *flectique* .. *nequit*, nam verum exstare in F² *non quit*, substitutum illud pro *numquid* (F¹) et *numquid* (D), manifeste patet ex Plinii consuetudine, de qua iam Silligius dixit ad XXXII 142, sed neque omnia exempla collegit neque quotiens et ubi *nequeo* inveniretur indicavit. itaque adiectis quae ille omisit hanc rem absolvam. verbum quod est *queo* Plinius nusquam affirmativum posuit, nam negatio inest etiam in his: *nec queunt* IX 109. XIX 65, *nullo modo queunt* XVII 120. XXXVII 29, *quis mortalium queat* XXXI 3. ceteris locis 28 adiecit particulam *non* his formis: *queo* (3), *quit* (5), *queunt* (9), *queat* (4), *queant* (5), *quirent* (1), *quivit* (1), nam Silligianis exemplis addenda sunt *non queo* praef. § 30, *non quit* XV 113, *non queunt* XXXVI 199, *non queant* XXXVII 64; subtrahendum est VII 121, ubi recte nunc legitur *non possint*. restant quattuor haec: XVIII 41 *nequeo mihi temperare*, cui adversantur eiusdem formulae exempla praef. § 30 et XXXIV 62, deinde *nequeunt* VIII 205. XVIII 239, et *nequiret* XXIII 58. quae mihi videntur corrigenda esse propterea quod particula *non* saepe compendio scripta (ut VIII

[32]) In hoc membro orationis deest significatio subiecti et dilucida trium contrariorum distinctio; quod damnum facile reconcinnatur *aliae* inserto ita ut sit *raro intervallo quatiunt aliae*, *aliae crebrius*.

105 et XV 113 in d *ñ quit*) facile poterat commutari cum *ne* et scribae correctoresque procul dubio *nequeo* quam *non queo* scribere malebant, sicut a VIII 105 et XV 113 habet *nequit* et B² XXXII 142 falso correxit idem. ceterum Ciceronem quoque constanter dixisse *non queo* observavit Orellius ad or. pro Sestio § 134.

Denique paucis censeamus industriam eius, a quo factae sunt correctiones a². is ut diligentiam adhibuit minorem quam qui correxit F, ita fide quoque minore dignus est. addidit quidem recte nonnulla quae in archetypo haud dubie invenerat, ut VII 16 *et illiris* (i. e. *et Illyris*), ib. 119 *tria*, VIII 79 *atque*, et quas saepissime orationi inseruit, praepositiones *in*, *ad*, *ex* et particulae *et*, *que*, *sed* et copula *est* haud raro aptissime insertae sunt, quia sine molesto orationis detrimento abesse vix possunt, sed interdum res ita se habet, ut resarciendo et expoliendo sermoni studuisse eum iure meritoque suspicemur. nam non modo suis additamentis interpolare textum non verebatur, ut VII 164 addidit *homines IIII tricenum centenum* et VIII 182 ante *monstratos* inseruit *se de* ibidemque § 176, ubi pro *inplent* invenisse videtur *inplenti* (ut d), commentus est *inplent id*, sed etiam mutabat licenter verba mente destituta suis coniecturis, ut efficeret quod specie aliqua mentis legentibus satisfacere videretur. cuius licentiae haec documenta proponam per se perspicua:

	Plinius	a¹	a²
VII 182	magna cum admiratione oraverat (RF²)	continaverat (conaverat D)	contionaverat
VIII 131	arborem aversi derepunt (F)	deretunc	diripiunt
161	eodem pervenisse a Veis	aseis	habens
169	eaedem (RF²)	caedem	ea item
185	gregesque . . comitantur	gregesque . . comitatur	grexque
203	in Cilicia circaque Syrtes (sirtes F)	syries	syrias
IX 29	moles.. tolleretur	*(locus rasus)*	toleratura
31	opponunt	opponunte	opponente

	Plinius	a[1]	a[2]
IX 86	conchas complexu crinium (R) frangunt[33])	criminum	crurum
94	triste .. omen navigantium	tristi .. omni	tristi .. ore
101	binaque ceu cornua	cornua qua (cornuaque DFR)	cornua quae
162	nonnulli ter (non mulli ter F^2)	mulli ter	molliter
X 70	apricos secutae montium recessuus	africo	africos
201	ex natura loci potu carentem	naturi	naturali
XI 24	iuxta terram volant vepribus evitatis (R)	evavatis	evacuatis
63	morbos suapte natura sentiunt (apes)	suapte (?)	suae apte
92	ovis earum corrupti	ovis .. corrupti	ova .. corrupta
277	ociusque putrescunt	ociusque	citiusque
249	ova parientibus (MR)	qua (D)	quia
278	id ipsum quo vivitur (R)	qua vivere (D)	quia viveret
„	vino faetent ora	fetenti (D)	fetentia
XII 26	dehiscentes maturitate	maturitatem (D)	per maturitatem
65	ne .. in micas frietur	frigetur (D^1)	fringitur
68	inciduntur bis et ipsae isdemque temporibus	bis et ipsas denique (D)	binis et ipsae denique
XIII 139	prospicere	rospicere (D)	respicere

Atque in his quidem inscita correctoris artificia ea sunt, quae neminem in errorem inducant, sed aliis locis multo propius accessit ad veritatis similitudinem, ut Detlefseni nunc adsensum tulerit. qui Ianum secutus ex solo a[2] recepit *fere* VIII 72, ubi leucrocotam Plinius describit *pernicissimam feram asini feri magnitudine, clunibus cervinis, collo, cauda, pectore leonis, capite melium.* at in *feri* non modo nulla offensio, sed firmatur etiam testimonio Solini 52, 34, qui Pliniana verba

[33]) *Crines* polyporum praeter hunc locum etiam IX 158 commemorantur. alias eadem membra *cirrorum* nomine significantur: v. IX 83. XXV 70. XXVI 58. itaque qui correctorem a[2] purgare volet crimine temerariae interpolationis, dicere poterit invenisse eum, sed parum intellexisse falsoque legisse *cirrorum.*

paene inmutata sua fecit. eiusdem libri § 112 quod inseruit *herbas* solius a[2] nititur auctoritate, sed cum prorsus sit supervacaneum, apertam interpolationis speciem prae se fert: (cervae) *ante partum purgantur herba quadam quae seselis dicitur, faciliore ita utentes utero. a partu duas [herbas], quae tamnus et seselis appellantur, pastae redeunt ad fetum.* IX 83 saepiae et lolligines pedibus duobus longissimis dicuntur *in fluctu se velut ancoris* stabilire: in his singularis nominis *fluctus* nonne omni suspicione vacat? nihilo minus correctoris a[2] pluralis *fluctibus* probatus est Detlefseno. et mox § 85 cum eodem maluit scribere: (polypi) *terreni maiores quam pelagici*, cum D *pelagii*, RFa[1] *pelagi* habeant, quorum prius recipiendum est, nam πελάγιος multo frequentius quam πελαγικός et Plinio alias unum adiectivum *pelagius* familiare est: cfr. IX 109. 131. 134. 135. XXXII 59. item interpolatio exprobranda est correctori X 168 *volucrum animal parit vespertilio tantum, cui et membranae ceu pennae.* ceteri libri recte *membranaceae pinnae uni*, nam membranae non sunt pinnis similes, sed potius pinnae membranis constant. de voce *pinnae* autem pro alis posita dubitari non potest, cum piscium quoque ea membra, quae alarum vicem obtinent, eodem vocabulo appellentur. denique *uni*, quod iam Gesnerus delevit, suam habet rationem propter particulam *et*, neque opponere licet auctoritatem Aristotelis h. a. I 5 p. 490 A, 7 τὰ δὲ δερμόπτερα, οἷον ἀλώπηξ καὶ νυκτερίς, nam vulpeculae volucris apud Plinium nulla est mentio.

Nec minus inprobo lectionem *concharum* olim vulgatam, sed ab Harduino recte explosam, quam solus revocavit Detlefsenus, quia *concarum* habet a[2] pro *buccarum* in his quae IX 94 auctore Muciano de communi conchae cuiusdam et nauplii navigatione hoc modo narrantur: nauplium condi in concham et *tranquillo vectorem dimissis palmulis ferire ut remis, si vero flatus invitent, easdem in usu gubernaculi porrigi pandique buccarum sinus aurae. huius voluptatem esse ut ferat, illius ut regat.* quis non iure offendat in plurali numero *concharum* praeter exspectationem usurpato, cum in tota narratione et nauplius et concha dicantur numero singulari? quam ob rem

Dalecampius correxit *conchae.* sed acquiescendum erit in reliquorum librorum scriptura *buccarum sinus*, qua apte significantur conchae puppis et prora cavae et ventis excipiendis idoneae, nec inusitata est Plinio haec locutio, quae, quamvis alio sensu, reperitur etiam XI 173. quamquam non supprimam silentio quam tollere non potui obortam mihi suspicionem. nam, ne nimium tribuam *pandendi* verbo, quod parum convenire conchae videatur materiae firmae duraeque, in navigando partes rectius ita credideris distributas esse, ut concha pro vehiculo sit et ferat, nauplius vehentis et regentis munere fungatur; neutrum enim animal sine alterius auxilio navigationis voluptatem percipere posse apparet: concha sine nauplio non vehitur, nauplius sine concha non fertur. nunc vero concha etiam pro se sola buccarum sinu ventis inflato loco moveri vehique dicitur, nauplio nihil aliud relinqui quam ut regat. itaque magis arrideat, si nauplii, non conchae, membra indicentur et *bracchiorum sinus* dictum sit, velut Aristotele auctore h. a. IX 37 p. 622 B, 9 Plinius paulo ante § 88 nautilum narrat duo bracchia retorquere et membranam inter illa mirae tenuitatis velorum instar extendere. tum quidem pronominum *huius* et *illius*, quae inter se confundi ob litterarum similitudinem facile poterant, necesse est sedem mutari. sed haec putari velim non sine cunctatione prolata.

Eandem dubitationem habet quod IX 13 corrector a² posuit et meditato quodam dicendi acumine allecti editores post Silligium omnes probaverunt *defendere,* cum ceteri libri (etiam R) praebeant *defundere,* d *diffundere.* ballaenarum enarratur cum orcis certamen, in quo illae orcarum morsibus infestatae, cum prohibere hostes non possint, *solum auxilium novere in altum profugere et se toto defendere oceano. contra orcae occurrere laborant seseque opponere et caveatas angustiis trucidare, in vada urguere, saxis inlidere.* non possum equidem facere quin *diffundere* magis appositum ad rei veritatem ideoque commendabilius existimem quam quaesitum illud et argutius quam planius dictum *defendere.* dispergi enim diffundique aptissima est profugiendi continuatio et maxime congruit cum iis quae insequuntur, cum orcae id potissimum cavere

dicantur, ut ballaenas in angustias compellant et inpedire ne e sinu in altum evadant, in quo dispersae ad flexum sint mobiliores.

Non magis credo eidem correctori VII 180, ubi scripsit: *in primis autem miraculo sunt, atque frequenter, mortes repentinae.* hoc Detlefsenus recepit, codices habent *frequentia.* at non frequenter miraculo sunt repentinae mortes, sed sunt magna frequentia, nam etsi longam Plinius exemplorum seriem enumerat, multa tamen praetermisit delectu instituto ex plurimis quae prodidit Verrius. aptius igitur est *frequentes* vel, ne pravum correctorem corrigamus, sed pareamus librorum auctoritati, cum exclamatione in parenthesi dictum *at quae frequentia*, aptissimum vero sit, nisi licentiae tribuatur, *magnaque frequentia.*

Diutius quam volui commoratus sum in tractandis his correctionibus codicum DRFa, nec tamen protuli omnia quae in controversia versantur. sed editoris ea est condicio, ut de hac re quid statuat non possit non expromere.

Atque, ut breviter complectar quae disserendo evincere conatus sum, originis progressionisque correctionum omnium gradus atque aetates statuo tres: aliqua pars redit ad archetypum aliquem vetustum, qui puriorem et pleniorem contextum servavit quam recentiores libri omnes. ex hoc tres codices nunc oblitterati et incogniti ita sunt emendati, ut emendationum auctores hic illic sua commenta admiscere non dubitarent. his denique archetypis tribus usi sunt qui correxerunt D et R et Fa, varia illi quidem assiduitate, diligentia, fide, sed omnes eo inter se similes, quod coniecturali quadam arte rudi et inperita subvenire Plinio studuerunt. itaque primae aetatis correctionibus plurimum est auctoritatis, alterius multo minus, nihil tertiae. cui quaeque aetati adsignanda sit, in singulis locis diligentissime perpendendum est eiusque rei momenta repetenda ex communi earum inter se aut cum aliis codicibus consensione vel similitudine et ex narrationis argumento, dictionis Plinianae proprietate, probabilitate palaeographica.

Hanc autem rationem si cui inprobare potiusque Detlef-

seno credere libitum fuerit correctiones omnes ex uno eodemque archetypo ita emanasse affirmanti, ut non interiecti cogitentur tres illi codices incogniti, non is ero qui vehementer repugnem, quoniam ad liquidum perduci haec res vix poterit. sed viderit quanto me magis attenuet infringatque et auctoritatem illius archetypi, quem pravis coniecturis inquinatum esse necesse sit, et fidem quattuor correctorum, ad quorum levitatem et licentiam omnia tum revocanda sint quae posui discrepantiae exempla ceteraque plurima. hoc saltem satis habebo effecisse disputatione mea, ut facilius intellegatur quanta quamque varia interpolatorum libido grassata sit in corrigendis codicibus recentioris ordinis.

IV

Superest ut a correctionibus descendamus ad hos codices ipsos, qui ut nunc pretio nobis sint multo maiore quam quo per se digna sunt, factum est praestantiorum subsidiorum penuria, qua laboramus in plurimis libris Plinianae naturalis historiae. quorum quae sit auctoritas, non opus est hoc loco de singulis verbosius exponere, cum non sit cur non credamus Detlefseno, communem iis originem esse, qua altero gradu contingant eundem archetypum, communem fere et patriam et aetatem. hinc autem recte videtur effici, ut exceptis fortuitis et levibus scribarum erroribus maxima ex parte non possint magnopere inter se dissimiles esse et necessario interpolationis exoriatur suspicio, ubicumque tanta sit discrepantia, ut explanari non possit eiusdem archetypi scripturae interpretatione varia.

Atque omnes quidem codices recentiores interpolationibus depravatos esse clarissime ostendit codex rescriptus M, sed longum est exemplis probare; saepissime vero scribae licentia haec labes illata est Parisiensi a, de quo ut paulo accuratius agam postulat Detlefseni dissensio, qui, cum ego luc. p. 11 sq. communem Iani, Urlichsii, Felsii (p. 33 sq.) de hoc libro sententiam ita confirmare conatus essem, ut codice rescripto tamquam certa praestantiae mensura uterer, philol. XXVIII p. 291 reiecit totum illud argumentandi genus et ex aliis

iisque certioribus indiciis concludendum esse censuit, hunc codicem, ut ex eodem quo ceteri archetypo oriundus esset, ita auctoritate quoque ceteros aequiperare. non inprobo equidem viri sagacissimi demonstrandi rationem in primis utilem et necessariam eoque facilius ei concedo, cum de origine codicis a nihil ipse contenderim atque meis subsidiis me eam quaestionem dirimere posse negaverim; sed etiamsi concedo, non corruit tamen de auctoritate quod protuli iudicium, cum has quaestiones probe separari et libri manu scripti dignitatem, ut supra dixi, duabus rebus censeri necesse sit: et indubitata ex vetusto et bono archetypo origine et librarii fide ac diligentia. ab hac autem laude longissime abest is qui scripsit codicem a; nam non satis habebat simpliciter et cum fide descripsisse litterarum ductus, quos in archetypo invenerat, sed, ut erat homo Latinis litteris mediocriter imbutus, Plinii sui pro virium parte emendandi studio ductus, sicubi verba mendis deformata et ne Latina quidem esse videbat, temere tum aliter distinguebat, tum ridicule admodum mutabat, ut certe oculis legentium speciem aliquam Romani sermonis repraesentaret. quod ut manifesto tandem probetur omnibus qui de hac re iudicare volent nec vastam variarum lectionum congeriem cotidie perlustraverint, eligam insignissimorum exemplorum aliquot — nam restant alia permulta — nec pigebit me molesti laboris nugas huius modi conscribendi, cum inde pendeat vera de multis locis dubiis existimatio. subiciam autem exempla haec ita, ut incorrupta Plinii verba, ut nunc leguntur, in primo ordine ponam, in altero lectionem, quam in archetypo fuisse credibile sit, servatam plerumque in DFG, in tertio denique id quod absurda mutandi libidine librarii in codice a ex ea fictum est.

		Plinius	archetypus	codex a
VIII	135	nulloque non principe adito querimoniis provincialibus	permittialibus DF	pernitialibus
	191	iam Asia	camasia F[1] caniasia D	canusia
	208	et feri sapiunt vestigia palude confundere	patiunt FD	patiuntur

	Plinius	archetypus	codex a
229	sicut serpentes parvi in Tirynthe	parunt in D	pariunt in
IX 21	vela navium transvolent. vagantur fere coniugia	oagantur DF	vento aguntur
X 31	circa Crannonem	cranomen F[1]	cacra nomen
70	in Thraecia	introcia *vel* in trecia F	introeant
140	gallinaceos.. pascendi lacte madidis cibis	madditis F[2] (maddidis F[1]DR)	additis
186	vermiculum in capite gigni	cante F[1]DR	coitu
XI 41	cum erice sola floret	mafrice (in africe D)	in africa
„	ex a. d. pr. id. Septembris	ex aprid (ex april D)	ex aprili
44	diribentes	diripentes R[34])	dirimentes
59	deteriores longae.. deterrimae ex iis pilosae	determinae D	teterrimae
65	alarum maxime lanugine obtexit	languine D	languidae
76	redordiri rursusque texere	redorderi (redordori D)	retorqueri
94	adproprinquet iis	adpropinquens D	adpropinquans
104	omnia . . morsu erodentes	moru erodentes D	in orbe rodentes
105	primo ova obterendo	obcerendo D	obicere
108	sed illae faciunt cibos	utiliae D.	utiles
131	equo, sed homini	equos (aequos D)	equis
141	oculi homini.. diverso colore, ceteris .. similes	ceris D	cervis
147	corybantiare Graeci dicunt	gredicunt D	grediunt
196	obsidionum exempla[35])	obsodion cum explenda D	hoc sirion cum explenda

[34]) Sic legitur in Iani collatione, ex qua Silligius falso enotavit *diripientes*.

[35]) Haec verba nondum sanata esse editores consentiunt. iam Silligius coniecit auctorum nomina in iis latere, et cogitavi de Posidonii nomine, quod in indice auctorum eum fere locum obtinet, ut hac paragrapho commemoratum esse non inprobabile sit, sed quidnam certe restituendum sit, ne mihi quidem liquet.

	Plinius	archetypus	codex a
270	in rudi parietum circumiectu	in nuri D[1]	in muri
274	Trogus .. auctor e severissimis	e reverissimis D	severissimus
277	anima . . exitura supremo	exitu ut D[1]	exitus in
XII 44	hadrosphaerum vocatur maioribus pilulis	pipulis D	populis
XIII 20	odorem qui gerit ipse non sentit	setit D[1]	fecit (sic!)
67	fit et in vitibus	filis et	folii et
78	nec malleo sufficit (papyrus)	malio D	alio
123	a genibus exeunt folia	exeunti D	exeuntia
XIV 24	Etruria	et rubria DG	et rubra
66	Potitiana ab auctore dicta. illo cognomine . . . laudantur	dicta illo comine	dicta in loco
81	aut ferventi oleo	aut ferunti (aut ferti D[1])	adferunt
86	faecibus vini expressum, quod faecatum Cato appellat	paecatum D	peccatum
90	hoc tum nomen vino erat, unde et temulentia appellata	nomenu inuerat unde D	nomine in verecundia
94	apparet indubitato Opimiani vini argumento	indubitatu DG	in consulatu
127	(pix in Hispania) e pinastris minime laudata	picinastris D	pici nostris
128	Asia picem Idaeam maxime probat	idacam D	indicum
137	milibus scelerum ob id (vinum) editis	ubi deditis (ubi dediti D)	ubi dedistis
144	Tiberio . . in senecta iam severo	senata D[1]	senatum
XV 20	in iis locis optimam esse	in finis G (infimis D[1])	in fines
22	. . linquantur. ob id crebrius vasa mutanda	liquantur obid obid	liquantur solide ob id
47	(tubures) aggeribus praecipue decora	ageribus D[1]G	generibus
62	post horam diei tertiam	cei D[1]G	ceu
„	exclusa omni aura operculo	auro D[1]	austro

Plinius	archetypus	codex a
100 nec cutis ulla singulis	nec utis DG	nec ut his
102 nigerrima sunt Lutatia	ut attia DG	ut activa a[1] ut actia a[2]
113 duracinis adhaeret corpus	dux acinis D[1]G	vix acinis
131 folio acutiore quam myrti ac molliore	myriticae (miriticae D)	myrtice

Sufficient, puto, haec quinquaginta documenta, quae omnia ita sunt comparata, ut vel ex decem satis superque appareat, quanto maiore fide in universum praestent DFG et quanta levitate insipiens ille homo qui a scripsit exigua in una littera peccata, quae in archetypo invenerat, mutando depravaverit adeoque obscuraverit veri vestigia, ut, si infelici casu ceteri libri manu scripti interiissent, permultis locis de vera scriptura resuscitanda plane desperandum fuerit. sed ut vix quisquam omnibus omnino in rebus adversa utitur fortuna, sic fortuito accidit nonnumquam, ut talis quoque hominis inconsiderantia gigneretur quod non displiceret vel tolerari saltem posset: eo magis igitur huius generis loci diligenter examinandi sunt neque Francogallorum critici imitandi, qui, ut Harduinus, illum potissimum codicem et Parisiensem d secuti saepius pravis coniecturis coniecturas superstruebant suas, quem ad modum XV 52 (*peculiare inprobatis acerbitatis convicium)* propter *improbitatis* (a) scripserunt *improbitatis et acerbitatis,* vel XIV 11 *(nulla fine crescunt* [vites] *vidique etiam porticus . . ambiri palmitibus)* manifestam interpolationem, qua scriptum est in codice a *dividique an potius velli nequeunt,* suo Marte amplificaverunt scribendo *aut* et *avelli,*[36])

---

[36]) Totum hunc locum Detlefsenus primus feliciter restituit. sed pro *etiam* malim ego *iam,* nam quod Silligius posuit *aut* in nullo videtur codice esse, cum c habeat *am,* d *eam,* ut in Iani collatione adnotatum est. praeterea quoniam in omnibus sit *nulla fine crescent dividique,* invitus facio ut deleam syllabam *di.* fidelius servatur librorum memoria hoc modo: *nulla finis crescendi* (est) *vidique,* nam postquam *di* et *vidique* in unum conflata sunt, nihil proclivius erat quam ex reliquis litteris *crescen* facere legitimam verbi finiti formam *crescent,* quo facto necessario scribendum erat *nulla fine.*

vel XIIII 3 *(unguentum Persarum gentis esse debet)* ex *gentis sedebat,* quod est in a²d, fecerunt *genti se debet,* alia multa. sed antequam tali duci nos committemus, non sine perpetua suspicione via probe exploranda erit, sitne certa an lubrica. itaque vehementer dubito, num verum sit quod XI 62 pleonasmi evitandi causa ex a receptum est *per eas* in sententia hac: *rubetae* (apibus inimicae) *veniunt ultro adrepentesque foribus per eas sufflant.* non urgeo quod sufflandi verbum nullo loco alio *per* praepositionem ascivit: multo magis obstat diplomatica quae vocatur ratio, qua longe est veri simillimum, genuinum esse quod M habet *portas* et depravationis hunc fuisse progressum, ut, cum falso *pertas* (DR¹) scriptum esset, inde in a *per eas,* in R² *repertas,* in dT *aperta* fingeretur. quare, si pleonasmus tolerari omnino non posset, *foris* potius conicere quam a sequi mallem. apertissime vero editores decepti sunt sola verborum forma, quae a Latino sermone non plane abhorrebat, XIV 135 *numquam implenda* (vini dolia) *et quod supersit passo aut defruto perunguendum admixto croco, pisa veteri cum sapa,* ubi merito reiectis *peitaveri* vel *putancri* (M) probaverunt quod legitur in a, inperite fictum ex *pisa verri* (D) vel etiam *pisave iri* (d), quamquam Felsius p. 34 not. 1 rectissimam coniecturam *pistave iri* proposuit coll. Colum. XII 27. 28, 1 et Plin. XIV 128. sed testem advocare poterat etiam Catonem 107, qui cum praecipiat 'quo doliorum labra circumlinenda sint, ne quid vitii in vinum accedat', dicit haec quae omnem dissipant dubitationem: *sertam Campanicam P. V. bene adoratam una cum iri contundas quam minutissime .. et una cum sapa coquas* cet.

Item commenticium est *in cervicem* in his quae VIII 150 narrantur de inmani cane Indico Alexandri iussu cum elephanto dimicante: *horrentibus quippe villis per totum corpus ingenti primum latratu intonuit, mox in cervicem adsultans contraque beluam exsurgens hinc et illinc artifici dimicatione qua maxime opus esset infestans atque evitans, donec adsidua rotatam vertigine adflixit ad casum eius tellure concussa.* archetypi scriptura fuit *inceruit* (DF¹R¹) aut fortasse *inceruic,* ex qua F² *increvit,* R² *inhorruit,* a denique *in cervicem* fecit, speciosius

ceteris primo aspectu, sed tamen re vera peius: minime enim canis in cervicem adsultabat, ut morsu inhaereret, sed perpetuo et undique lacessendi celeritate adversarium pessime vexabat. quare verbum finitum aliquod impetum significans requiritur, cui participia varios impetus modos illustrantia apte adnectantur, id quod declarat etiam Solinus, qui 15, 7 recte distinxit haec tria narrationis membra a Plinio particulis *primum, mox, donec* indicata: pugnandi cupiditatem, quam canis hostem conspiciens latratu significavit *(notabiliter exsultans)*, deindo varios impetus *(beluam astu fatigavit)*, denique certaminis finem *(terrae adflixit)*. itaque quoniam *ingruit*, quod olim vulgatum erat, propter praesentis temporis formam ferri non potest, scribendum est *incessivit*, de hoc pugnandi genere non minus apte usurpatum quam XXXIII 53 de certaminibus in harena a Caesare aedile institutis: *ferasque etiam argenteis vasis incessivere tum primum noxii.* origo errati facile elucet ex INCESIVIT, littera S falso semel scripta. praeterea nescio an *beluam* inmerito ex a^2F^2 receptum sit pro *membra* (DF^1Ra^1dT), nam quod Solinus eadem voce usus est, non modo nullam habet probandi vim in quaesita ceterae dictionis varietate, qua praeter *adflixit* nihil e Plinio sumptum est, sed nascitur etiam suspicio, ex eo fonte haustam esse emendationem; *membra* autem rei narratae optime convenit respondetque verbis *hinc et illinc . . qua maxime opus esset infestans.*

Eiusdem librarii praepropera sedulitate in loco multum tentato XI 257 natum est absurdum illud *rectorem,* quo Detlefsenus fundamento usus est coniecturae parum probabilis. Silligius enim et Ianus ex R locum ita conformaverunt scientes corruptelam nondum sublatam esse: *qui negant volucrem ullam sine pedibus esse confirmant et apodas habere et ocen et drepanim, quae ex his rarissime apparet.* idem habebant codices Gelenii, similiter d *et ocem,* D *ctocen,* neque aliud scriptum erat haud dubie in archetypo codicis a. sed librarius ille, cum intellectu id carere sensisset neque vellet in textu ponere quod ipsa specie barbara legentium oculos violaret, adsumpta syllaba praecedente *re* commentus est *rectorem,* quod plane nobis

abiciendum est restituere verba conantibus. translata autem sunt ex Aristotele h. a. I 1 p. 487 B, 24: καὶ τῶν ὀρνίθων εἰςί τινες κακόποδες, οἳ διὰ τοῦτο καλοῦνται ἄποδες. ἔςτι δὲ εὔπτερον τοῦτο τὸ ὀρνίθιον. cχεδὸν δὲ καὶ τὰ ὅμοια αὐτῷ εὔπτερα μὲν κακόποδα δ' ἐςτίν, οἷον χελιδὼν καὶ δρεπανίς.. φαίνεται δὲ ὁ μὲν ἄπους πᾶσαν ὥραν, ἡ δὲ δρεπανὶς ὅταν ὕςῃ τοῦ θέρους· τότε γὰρ ὁρᾶται καὶ ἁλίςκεται, ὅλως δὲ καὶ cπάνιόν ἐςτι τοῦτο τὸ ὄρνεον. itaque cum praeter apodem duae aves commemorentur, hirundo et drepanis, Harduinus recepit Pintiani coniecturam *hirundinem,* quamquam ipse auctor 'duram castigationem' non sine excusatione proposuerat. ante hunc Barbarus ex *nectorem,* quod eandem originem quam *rectorem* habere putandum est, fecerat *nycterin* (ex verbis Aristotelicis l. l. v. 23 καὶ νυκτερίδι πόδες εἰςί), quod postea probatum est Gesnero et Schneidero ad Arist. h. a. tom. III p. 7. sed verissime iam Pintianus animadvertit, Plinium, qui numquam hac Graeca appellatione usus esset, sine dubio dicturum fuisse *vespertilionem.* postremo Detlefsenus, cum in *rectorem* genuinae scripturae reliquias servatas esse crederet, excogitavit *breviores;* at non de pedum mensura hic agitur, sed aves nominantur quae sunt κακόποδες, sed εὔπτεροι i. e. quae propter pedum infirmitatem plerumque volantes, numquam fere pedibus incedentes conspiciuntur ideoque pedibus carere falso creduntur. cum Aristoteles dicat οἳ διὰ τοῦτο καλοῦνται ἄποδες, tentari possit etiam *apodas quos vocent habere,* ut librarius oculo transiliente ad *habere* hoc prius scripserit adieceritque deinde *vocent* omisso *quos,* vel, traiectione non adhibita, *apodas habere quos vocent,* ut litterae similes casu interciderint, nisi satius erit desperatum locum in medio relinquere.

Aliud eiusdem fraudulentae doctrinae documentum exstat IX 16: *in qua sententia fuisse Aristotelem video et multis persuasisse doctrinam indaginibus.* quod in communi archetypo fuit *doctrina indignibus*, id servatum est in DF, in ceteris RdT perperam mutatum in *indignis,* in R loco raso ante *s,* in d post *s.* scriba autem, quem refellere studemus, in a finxit lectionem *indaginibus*, quae per omnes fere editiones propagata est, donec Silligius *indignis,* Ianus *indignius* scri-

bendo aliquantisper videbantur eam exterminavisse. sed frustra: nam Detlefsenus ab oblivione eam vindicavit et in textum reduxit. intellegunt scilicet subtilem argumentandi rationem et doctas disquisitiones, quia recentiores scriptores Latini hoc vocabulo ita uti consueverunt et *rem altioris indaginis* et alia huius modi dicere, quae nemo antiquus dixit umquam. usurpatur enim *indago* proprie de venatione, qua ferae exagitantur et circumveniuntur, deinde ob similitudinem rei a scriptoribus historicis translate dicitur de belli artibus, sed ita plerumque, ut adiectis particulis *velut, quasi, modo* novitatem translationis excusent, id quod Tacitus quoque fecit, amantissimus ille audacis dictionis, Agric. 37 *expeditas cohortes indaginis modo.. silvas persultare*, et ne Florus quidem omisit II 13, 32 *rates.. nova Pompeianorum arte Cilicum actis sub mari funibus captae quasi per indaginem* et II 33, 48 *tripertito exercitu totam Cantabriam amplexus efferam gentem ritu ferarum quasi quadam cogebat indagine.* neque evanescit haec callidae venationis notio, ubi latiore significatu ponitur, ut Taciti ann. XIII 42 *Romae testamenta et orbos velut indagine eius capi, Italiam et provincias inmenso fenore hauriri*, et Gellii noct. Att. VI 16, 6 *has undiquevorsum indagines cuppediarum*, ubi est pluralis, rarissimus alioquin apud antiquos. ne plura exempla adscribam, reicio legentes ad Forcellinium s. v., Cortium ad Lucani Phars. VI 42, Boetticherum Lex. Tacit. s. v. at significationis eius, quae hoc loco Pliniano falso creditur, unum exstat testimonium in codice Iustinianeo IV 31, 14 *si invenerint eas maiorem et ampliorem exposcere indaginem*, neque inveni alterum apud viros doctos qui exempla congesserunt. inde ab hoc tempore apud scriptores medii aevi multo frequentioris usus esse haec vox coepit, nam Ducangius, qui glossarii graeco-latini interpretationem affert hanc: *indago*, παγὶς ἐπὶ ἀγρίων ζώων, pluralis numeri multa exempla ponit ea significatione, quae sic explicatur a Matthaeo Parisiensi: *indago, quam vulgariter parcum dicimus*, quem ad modum Magister Rogerius de destructione Hungariae c. 34 dixit: *in silva inter indagines latitavi.* et in Chronico Hildesheimensi a. 1126 legitur: *ad praecidendas indagines silvae, quae Bohemiam a Saxonia disterminant.* idem

Ducangius adfirmat hoc vocabulum illis temporibus saepius usurpatum esse pro 'indicio, probatione'. quod cum notissimum esset homini docto medii aevi, nihil veri similius quam scribam illum, cum quod scriptum invenerat *indignibus* nihil esse vidisset velletque substituere quod aliquid esse videretur, hanc vocem suo Marte obtrusisse Plinio, qui nusquam ea usus est. sed plura praeterea concurrunt quae fraudem detegant. offendit enim *persuadendi* verbum cum *doctrinae* substantivi accusativo coniunctum, cuius structurae neque apud Plinium neque apud alium scriptorem antiquum exemplum ullum inveni. offendit porro nomen *doctrinae* de una quadam opinione dictum ne pronomine quidem *hanc* vel *eam* addito, qui usus abhorret si minus a Latino sermone, at certe a Pliniano genere dicendi, nam quod XXXV 79 de Apelle dicitur: *voluminibus etiam editis quae doctrinam eam* (de pictura) *continent*, non unam opinionem intellegi apparet. denique ne rei quidem ipsius veritate commendatur ficticia illa scriptura, nam pauci loci, in quibus Aristoteles de ballaenarum, delphinorum, aliorum piscium respiratione agit (h. a. VI 12 init. VIII 2 p. 589 A, 28. IV 9 p. 536 A, 2), perbreves sunt neque ita comparati, ut eum iure dicas multas 'indagines' in publicum proposuisse. quibus de causis nostrum esse censeo coniectura reperire quod huic loco magis conveniat atque una littera mutata scribi volo, quod iam Urlichsium vind. Plin. I p. 154[37]) voluisse video: *et multis persuasisse doctrina* i n s i g n i b u s, quod ut rei accommodatum est — nam de m u l t o r u m opinione agitur —, ita non alienum a Pliniana elocutione: cfr. IX 183 *claros sapientia auctores*, X 4 *Manilius maximis nobilis doctrinis*, II 248 *Dionysodorus .. geometricae scientia nobilis*, adiectivum autem quod est *insignis* permultis locis ita positum reperitur.

Simile vitium notari velim VIII 171, de quo loco magna

[37]) Omnia haec iam scripta erant et typographo tradita, cum hanc coniecturam repperi iam ab Urlichsio prolatam esse, id quod nescio quo casu me fugerat. etsi igitur totum hunc locum supprimere non licebat, licebat tamen nomine, ut factum est, apposito emendationis auctori doctissimo debitum honorem reddere.

est criticorum dissensio. Plinius enim postquam de mula ex asino et equa genita nonnulla prodidit, deinde sic pergit: *gignitur autem mula et ex equo et asina, sed effrenis et tarditatis indomitae. lenta omnia esse vetulis.* ultima dedi ita ut sunt in libris DFaRd, nisi quod in Rd *ēē* scriptum est pro *esse*, a autem *omina* praebet pro *omnia.* quae verba corrupta esse cum clarissime appareret, Pintianus ad ultimam quae multorum solet esse rationem confugit, ut tamquam spuria ea deleret, Harduinus vero tueri studuit sic emendata: *lenta omnia eis ut vetulis.* horum uterque adstipulatores postea habuit, nam hunc secutus est Silligius, cum illo consensit Urlichsius vind. Plin. I p. 150. alia coniectura verbis subvenit Ianus scribendo: *laeta omina hae e vetulis*, cumque *omina* firmaretur auctoritate codicis a, cum Iano fecit Detlefsenus. at quorsum spectant, quaeso, haec omina? num alterius auctoris nituntur testimonio? an fides omnis posita est in litterarum similitudine? nam codicis a auctoritatem quod nihili aestimo, nemo mirabitur. praeterea mihi valde displicet *lenta* adiectivum, quod aptissime adnectitur ad praecedentem *tarditatis* notionem, propter futtile illud librarii commentum mutatum esse in *laeta.* itaque quoniam Plinius antea certos aetatis fines ac terminos constituit, cum dicit equas esse non decennibus maiores legendas, neque sententiarum conexum rescindi neque librorum memoriam violenter turbari puto verbis ita conformatis: *lentae omnino e vetulis* (sunt). haec postquam duobus mendis affecta sunt his:

lentaomnineevetulis,

induerunt postea speciem eam quam libri nunc exhibent.

Hinc pergimus ad locum similis argumenti, et ipsum quidem graviter depravatum, sed in quo lectione a[1] patefiat depravationis origo. X 180 *equas autem post tertium demum* (annum) *aut post unum ab enixu utiliter admitti putant, coguntque invitas. et mulier septimo die concipere facillime creditur.* sic ultima verba scripta sunt in DRFa[2]d, in uno a[1] *et muliter.* sunt autem repetita ex VIII 172 et accuratissime respondent his Aristotelicis: τεκοῦcα δὲ βιβάζεται ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ, καὶ μάλιcτα δέχεται τὸ πλῆcμα ταύτῃ βιβαcθεῖcα τῇ ἡμέρᾳ

(h. a. VI 23 p. 577 A, 29), quae quidem verba de asina intellegenda esse negare nemo poterit qui paulo attentius totum locum inspexerit. hinc apparet quo iure ex *muliter* factum sit *muli mater* i. e. equa, non asina. quasi vero equae ex equo concipientis prorsus alia sit natura quam equae mulum pariturae! immo vero carere non possumus nomine *asina*, quod Pintianus primus postulavit, vel *asinas*, quod Urlichsius vind. Plin. I p. 161 post *invitas* apte inseruit; *mulier* autem delendum est, nam prava correctione librariorum fictum est ex *muliter*, hoc autem nihil est aliud quam *utiliter* ex superiore versu per errorem huc inlatum.

De unguentorum illo scrinio Darii regis, quo Alexander Magnus postea Homeri carmina adservabat, in ceteris codicibus VII 108 leguntur haec: *quod erat auro, margaritis gemmisque pretiosissimum.* in his quis vituperet ablativos causas significantes? sed in communi recentiorum librorum archetypo videtur ante *auro* fuisse littera O, quae servata est in D, vel etiam D, ex qua scriba codicis a finxit praepositionem *de.* nempe fugit illum *auro* quoque pertinere ad *pretiosissimum.*

Omissis ceteris locis, ne omni laude privare videar codicem a, nunc profero duos, in quibus veram ei debemus scripturam. vulgo enim edunt XIV 13: *stat provinciarum aliquarum per se vitis sine ullo pedamento, arcus suos in se colligens et brevitate crassitudinem pascens.* cum litterae *c* et *t* saepissime inter se commutatae sint, non mirum, quod hoc loco archetypi lectionem librarii varie interpretati sunt: *arcus* scripserunt DGd, *artus* a, cui ego adsentiendum puto, nam etsi haud absurde dicitur vitis arcus suos in se colligere, quandoquidem arcus curvus est, tamen iure displicet ramos arcus dici et multo magis accommodatum est neque caret elegantia quadam sermonis vitem cum corpore, ramos cum artubus comparari, praesertim cum eadem translatio toto hoc loco saepius inveniatur, ut *bracchia* commemorantur § 10, *digiti* § 12, *pollices* § 14 et *geniculatus cursus* § 10 dicitur.

Alter locus est XII 54, ubi de Minaeorum in Arabia turis commercio Plinius narrat: *feruntque $\overline{III}$ non amplius esse familiarum quae tus per successiones id sibi vindicent, sacrosque*

vocari ob id cet. sic Detlefsenus de coniectura scripsit, nam aperto errore R habet *plus*, Dd *cius*, littera *c* praecedente falso geminata. at non spernendum erat quod in a est *ius*, nam non solum in hanc sententiam optime quadrat, sed commendatur etiam Solini adsensu hunc locum fideliter sic exscribentis 33, 6: *virgulta haec non sunt publica, sed .. in ius posterorum per successiones transeunt familiarum*, nulla in libris scripturae varietate. nec minus congruunt Theophrasti verba h. pl. IX 4, 5: τούτους γὰρ εἶναι κυρίους.

Ceterorum codicum DFR eodem modo recensum instituі neque opus est et vetat ipsa amplitudo huius libelli, quem invitus video haud mediocriter iam excessisse eos terminos, quibus huius modi scriptiones scholasticae includi solent. itaque speciminis causa strictim indicasse sufficiat XI 76 Pamphilae patris nomen ex F (Θ) restituendum esse *Platae* (nam Aristot. h. a. V 19 p. 551 B, 16 genetivum formavit Πλάτεω), et XI 279 mutatione nulla ex R recte sic scribi: *quae insecta appellavimus, omnia olei aspersu necantur, vultures unguenti — qui fugat alios appetunt odorem —, scarabaei rosa.*

Et de codice Parisiensi d paucissima haec addere liceat, quod dixi luc. p. 16, non posse eum prorsus neglegi, id a Detlefseno editore re atque usu plane comprobatum esse, qui, quamquam nunc censet d totum transcriptum esse ex F, tamen in libris VII—X, in quibus utebatur subsidio huius codicis F, scripturam quae est in d locis 62 in textum recepit idque interdum ita ut ego adsentiri verear. sed aliis quoque locis genuinam lectionem exstare in solo d, uno nunc demonstrabo exemplo: VII 33 Detlefsenus parum feliciter ex a² recepit *adducitur*, quod vix Latinum videtur et a correctore temere fictum est adsumpta praecedente vocali *a*: *tergeminos nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque exemplo. super inter ostenta adducitur.* Silligius et Ianus scripserant, quod est in DRFa¹, *dicitur.* at verum servavit d *ducitur.* solet enim Plinius in locutionibus talibus cum verba *ponere* (VII 92. XVII 91. XXII 92), *habere* (XXVIII 26), *accipere* (VII 214), tum verbum *ducere* usurpare, coniunctum non modo cum adiectivis, ut VII 6 *haud omittenda duco*, XV 76 *nihil equidem duco*

mirabilius, XXII 10 *nihil equidem . . sublimius duco*, ib. 15 *nihil equidem probrosius duco*, XXXVII 203 *proximam equidem duxerim*, sed etiam cum praepositionibus *in* et *inter*, cuius structurae haec habet exempla: VII 56 *in censu .. duceret*, XVIII 288 *equidem .. in simili causa duxerim*, XXXI 60 *plerique in gloria ducunt*, et II 159 *inter crimina .. duxerim*, VII 144 *equidem .. inter calamitates duxerim*, XXXVI 124 *inter maxime memoranda equidem duxerim.* quam ob causam etiam XXXVI 104, quod restat ultimum huius modi exemplum, ex RFd scribendum est *inter prodigia animi humani duco*, ubi editores ex BV *dico* iniuria receperunt.

ADDENDVM

Ad p. 22 Alfredus Fleckeisenus, collega meus coniunctissimus, mihi significavit IX 57 et 185 mendosum illud *aestatis* commode repeti posse ex falsa scriptura *estatis*, vocali *e* praefixa litterae *s* inpurae more gallico et italico, de quo dixerunt Lachmannus ad Lucretii IV 283 p. 232 et Schuchardtius in libro quem de lingua Latina vulgari scripsit II p. 343 sqq. quae mihi ratio nunc eo magis probatur, quod etiam in codice rescripto M huius usus aperta reperiuntur vestigia: cfr. Moneus proleg. p. XXX. ac nescio an eadem emendatio adhibenda sit his duobus locis, in quibus legitur *aestatis temporibus*, nullo adiectivo apposito: IX 12 *condi autem* (ballaenas) *aestatis temporibus in quodam sinu placido* (*statis* $R^1a^1F^1$, *estatis* R^2a^2, *aestatis* F^2), quamquam ex verbis antecedentibus *non ante brumam* nonnihil commendationis quaeri potest, et XXXI 56 *et Borysthenes aestatis temporibus caeruleus fertur*, ubi Athenaeus nobis succurrit, cuius verba II 42e accuratissime conveniunt cum Plinianis: τὸ δὲ τοῦ Βορυσθένους κατά τινας χρόνους ἰοβαφές.

CONSPECTVS

INDEX LOCORVM

DE QUORVM EMENDATIONE HOC LIBELLO DISPVTATVM EST

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

DATE DUE
